
Thomas Lugin
Lot 1225
No 94

6B

Valentii latitudo est 39. g. 30. Cum non reperiatur
in his tabulis, sed tabula aliqua, quae prae se habeat 39. g.
30. m. sumo partem proportionalem, hoc pacto.
Videlicet in tabula 39. g. ~~30. m~~. quot g. ~~respondent~~
ascensionum respondeant alicui gradui Zodiaci, iterum
etiam video ipsimet gradui Zodiaci quot gradus æ
quinoctialis respondeant in tabula 40. g. altitudinis.
subtraham illico differentiam utriusque numeri respi
et medietas illius numeri subtracti, erit pars æquinoctialis
que respondet ~~39~~ g. 30. m. Altitudinis. exempli
gratia. volo experiri, quot gradus ascensionum respondeat
ant 28. g. Scorpionis, in latitudine 39. g. 30. m.
intro in tabulam 39. g. latitudinis cum 28. g. m.
cui respondent ascensionis 252. 38. in tabula 40.
g. latitudinis, huic eidem gradui ~~28~~ 28°. Scorpionis
respondent. 253. ib. diff. horor. numerorum. est
38. m. cuius numeri mediietas ~~erit~~ s. 19. ~~erit~~ si adda
tur. n°. 252. 38. eo quod ascensio crescit, quod remane
bit s. 252. 57. erit ascensio, quae respondet 28. gra
dui Scorpionis, in latitudine 39. g. 30. m.
Est animadvertendum, quod si numerus ascensionis quae respexit
in tabula 40. g. crescit et est maior ascensione, quae re
perit. in tabula 39. g. latitudinis, addamus mediietate
diff. tali n°. Si vero decrescit et est minor, demam
mediietatem diff. ~~ab~~ a tali ascensione. m

* la metad y la propria denominaciõ.

△ la metad y contraria denominaciõ

oo la mesma y contraria denominaciõ

□ nõ sabet la hi diren.

	♏		♐		♑		♒		♓	
m̄	g̃	m̄	g̃	m̄	g̃	m̄	g̃	m̄	g̃	m̄
0	214	39	250	4	284	32	314	28	338	51
8	215	49	251	15	285	37	315	21	339	35
17	216	59	252	26	286	42	316	14	340	19
26	218	9	253	37	287	46	317	7	341	3
35	219	19	254	48	288	51	318	0	341	47
44	220	30	255	59	289	55	318	53	342	31
53	221	40	257	10	290	58	319	44	343	14
62	222	51	258	20	292	1	320	35	343	57
71	224	1	259	31	293	4	321	26	344	40
80	225	12	260	41	294	7	322	17	345	23
89	226	23	261	51	295	9	323	7	346	6
98	227	33	263	1	296	10	323	57	346	49
107	228	44	264	11	297	11	324	47	347	31
116	229	55	265	21	298	12	325	36	348	14
125	231	6	266	31	299	13	326	26	348	56
134	232	17	267	40	300	14	327	15	349	38
143	233	28	268	49	301	13	328	3	350	20
152	234	39	269	58	302	12	328	51	351	2
161	235	51	271	6	303	11	329	38	351	44
170	237	2	272	15	304	10	330	26	352	26
180	238	13	273	23	305	9	331	13	353	7
189	239	25	274	31	306	6	332	0	353	49
199	240	36	275	39	307	3	332	47	354	30
209	241	47	276	46	308	0	333	33	355	12
219	242	58	277	54	308	57	334	20	355	53
229	244	9	379	1	309	53	335	6	356	34
239	245	20	280	8	310	48	335	51	357	16
249	246	31	281	14	311	43	336	36	357	57
259	247	42	282	20	312	38	337	21	358	38
269	248	53	283	26	313	33	338	6	359	19
279	250	4	284	32	314	28	338	51	360	0

IOANNIS DE MONTE REGIO MATHEMATICI CLARISSIMI TABVLÆ DIRECTIONVM PROFECTIONVMQVE, NON TAM ASTROLOGIÆ IVDICIARIÆ, QVAM TABVLIS INSTRVMENTISQVE INNVMERIS FABRICANDIS VTILES AC NECESSARIÆ. DENVO NVNC ÆDITÆ, ET PVLCHRIORE ORDINE DISPOSITÆ, MVLTISQVE IN LOCIS EMENDATÆ.

EIVSDEM REGIOMONTANI TABVLA SINVVM, per singula minuta extensa, universam sphæricorum triangulorum scientiam complectens.



TVBINGÆ APVD VIDVAM VLRICI Morhardi, Anno M. D. LIX.

[redacted]

fr. Hieronymo Mos
califo del sto offo val.o

Del Colegio de S. Angel de Ser.a de la Carmelitas Descalzos

TYPOGRAPHVS ASTROPHILIS S. D.

Praeclare Plato in Epinomide literis prodidit: Gratam de Deo famam in astris, & doctrina astrorum sparsam esse. Hanc sententiam hoc uenustissimo reddidit disticho [redacted]

Etsi enim suspicientem in coelum, stellasq; contemplantem fateri necesse est: esse Deũ aliquem sapientissimum & potentissimum: à quo haec pulcherrima mundi Machina orta sit & conseruetur: tamen, cum scientiae beneficio coelum magis introspicere discamus, & certissimae nobis atq; aeternae motuum leges ac uices aperiantur atq; monstrentur: fieri non potest, quin & assensio de Deo & prouidentia in animis multò firmior euadat, & erga ipsum maior pietas excitetur inflammeturq;. Cum igitur huic doctrinae coelestium & lucidissimorum corporum Tabulae Clarissimi Mathematici Iohannis de Regiomonte plurimum lucis addant, usumq; eius abundè patefaciant: gratum Deo laborem esse, ipsumq; laude quoq; affectum iri existimaui: Si eas tabulas nostra opera, cum praesertim à multis diu multùmq; desideratas esse scirem, studiosis Astrologiae iterum communicare non grauatè studerem. Nam ad hunc suscipiendum laborem non solum Typographi quidam alias apud exteras Academias degentes: sed etiam nostrae huius Academiae studosi & conciues plurimi authores mihi & monitores fuerunt. Quocirca tum & hic laborem Deo probari & laudi futurum, ac studiosos Astrorum non posse hisce tabulis carere, aut sine his parum fructus capere intellexissem: facile passus sum sibi persuaderi, ut eas tabulas denuo excudendas susciperem. Atqui, ut hac in re melius meam operam praestare possem, rogaui M. Samuelem Isenmengerum Prettanum: huic enim demandata est harum artium initia tradendi & explicandi prouincia in nostra Academia: ut me in aedendis tabulis nonnihil iuuaret. Etsi inferiorem autem se multo, quàm ut in doctissimi Mathematici tabulis magna sagacitate & diligentia constructis aliquid uel emendare uel mutare posset, ingenuè profitebatur; tamen cum sæpius ei meis precibus obstreperem, dedit consilium paulo concinnius & pulchrius orationis contextum disponendi; in eoq; quaedam emendata, quae à suis praeceptoribus obseruata & indicata se habere affirmabat, libenter mecum communicauit. Cum igitur, optimi Astronomiae candidati, tabulas Regiomontani elegantiores

& correctiores multò, quàm antea, opera nostra, quàm libenter uobis nauauimus, in lucem iterum prodeant: oro atq; obsecro uos, ut eam, qualiscunq; sit, æquo animo interpretemini & consulatis.

Deum æternum patrem Domini nostri Iesu Christi precor: ut in hac rerum omnium perturbatione aliqua Ecclesiæ suæ et scholis hospicia, quibus cùm alia multa tùm etiam horrendi astrorum congressus & positus deinceps ruinam plurimasq; calamitates minari uidentur, præbere uelit: in quibus & cœlestis de filio ipsius doctrina propagari latè, hæcq; de cœlestium corporũ motu et efficatia scientia conseruari & ad posteros transmitti possint. Bene & fœliciter Valete. Tubingæ. Anno à Christo nato 1558. à condito mundo 5520. sub occasum matutinum Humeri dextri Orionis.

TOXITES LECTORI.

Quas iterum tabulas Isenmengerus adornat,
Mons peperit longè Regius ante tibi.
Non opus hoc ætas, preclaris inuida rebus,
Consumet: geniò uiuet ubiq; suo.
Laudes ergo pijs meruere laboribus ambo,
Non alia hoc etenim præmia tempus habet.

IOANNES SECCERVITIVS.

Qui cupis in patriam celsos attollere uultus,
Syderáq; ingenio nunc habitare tuo:
Huc ades, & sacri per Regia culmina montis,
Certa tuæ recolas hæc monimenta uiæ.
Inuida quæ solito ne crimine deleat ætas,
Procedunt nitidis nunc renouata notis.
Scilicet extingui Regum miracula Memphis
Viderit, & moles Roma perire suas.
Hæc tamen à sæuis, auro potiora, ruinis
Munera posteritas asseruisse uelis.

Quæ

Quæ qui parua putat, Mundiq; in carcere cæco
Oblita terrena lumina fęce gerit:
Ille ſuas equidem ſtellas miretur in arca,
Et putet hic magni ſigna nitere poli.
Nos quà prima uocat pietas, quà numen in aſtris.
Curaq; cœleſtes proxima monſtrat opes.
Arte iuuet ſuperos iam nunc penetrare receſſus,
Regnaq; mox æquo noſtra futura Deo.
Omine fælici quæ mens ut præmia tangat
Alig er his tabulis Dædalus eſſe potes.

S A. I S. B.

Tempus edax rabida quamuis metat omnia falce,
Mors quoq; ſit ſaxis, marmoribusq; ſua:
Non tamen hoc decus infringet ruinoſa ſenecta
Ingenij, quod mons Regius ille dedit.
Nam uirtus nunquam, non mens bene docta latebit
Sed pia ſuccedet, non peritura polo.

GEORGIVS OSTERMARIVS.

Cum ſprætæ iaceant animis uulgaribus artes,
Cognita quæ certis legibus aſtra colunt:
Non tamen in tanto rerum diſcrimine uirtus
Inclyta ſupremos eſt habitura rogos.
Si quid at in ſtudijs uigiles meruere labores;
Hæc quoq; (crede mihi) pagina perpes erit.
Quæ tibi, quisquis ades, ſtudio diſpoſta fideli,
Ingenio magnas diuite promet opes.
Quare age ſæpe legas hunc grata mente libellum,
Quem manet ingenio non periturus honor.
Vt tibi fertilibus ceu uinea culta racemis,
Vbere cum fructu commoda magna ferat.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO Patri & domino, domino Ioanni Archiepiſcopo Strigonienſi, Legato &c. Ioannes Germanus de Regiomonte ſe humiliter commendat.

MAgnam eſſe admodum & fuiſſe ſemper in ædendis libris difficultatem mihi uideri ſolet, dum reuoluo maiorum noſtrorum exemplaria: ac præſertim eorum exordia conſpicio, ubi plærique tenuitatem ingeniorum ſuorum inſimulant, non ſuffecturam uidelicet cœpto operi. Alij uero arduitate tentati negotij penè deterreri uidentur, nonnulli erratis ſuis ueuiam datum iri uolunt, dubiam ſcribendi fortunam haud iniuria ſuſpicantes. Mihi autem reuerendiſſime Domine aliud præterea accedit, quod factum prorſus impoſſibile reor: aſſiduæ ſcilicet iuſſioni tuæ morem gerere, ac demum iudicio tuo non minus acuto quàm recto dignum aliquid reddere. Tuæ profecto monitioni nefas eſt contrauenire: qui enim licentius in me habeat imperium, præter te mortalis nemo eſt. Vbi autem lucubrationes meas coram te iam rigido quàm perſpicaciſſimo cenſore depromſero, labaſcet illico animus. Quis enim eruditiſſimus licet aliquid nouarum literarum impunè tibi afferet? quippe qui omni doctrina ac uirtute mirum in modum præditus es, diuinarum humanarumq; rerum plenam tenes cognitionem: omnibus cuiuscunq; literaturæ cum te præbeas auditorem, omnes tamen excellentiſſima eruditione tua antecellis adeò, ut diſcipulos ſeſe fateantur, quicunq; in habitu præceptorum ad te acceſſerint. Quantus es quàm profundus in ſacris exiſtas literis: neminem ignorare arbitror. Quid referam de iure pontificio? cuius notitia quidem ornamento tibi eſt, uſus autem dignitati tuæ perneceſſarius, quippe qui ſupra omnes Prælatos regni Hungariæ primatum tenes: uniuerſa demum philoſophia tibi familiaris eſt, diſciplinæ autem quadruuiales decus & gloriam pepererunt. Quòd ſi ad negotia humana tranſeundi detur licentia, quis non admirabitur immenſam tuam prudentiam, ex qua totius regni Hungariæ gubernatio penderet? Ita tamen foris publica curas, ut domi quoq; magnificentia tua ineffabilis demonſtretur: in arce inquam Strigonienſi, ad cuius reſtitutionem aſſiduam etſi nullis parcas impenſis, longè tamen ampliori ſumptu ſolertioriq; ſtudio bibliothecas præcioſiſſimas, ac omni genere codicum refertiſſimas inſtituiſti. Quantam præterea & quàm perennem curam habeas condendi ſtudij generalis, conclamatum eſſe iam pridem arbitror, cum ex uniuerſis literatorum conſortijs omnium profeſſionum doctiſſimos quosq; uiros accerſere ſoleas, officio fretus regij Cãcellarij ſupremi, cui cœpto feliciſſimo me quoq; VVi-

ennenſis

ennensis collegij alumnum quantumcunq; adesse uoluisti, docturum uidelicet quadruuiales facultates. Venienti igitur, uoluntatiq; tuæ morem gesturo mihi in primis id mandati dedisti, ut tabulas quasdam directionum componerem, quæ & usu faciles & iudicibus utiles essent. Rectè quidem animaduertisti difficultatem huiusce rei, quam profectò omnes Astrologi tanquàm horrendum scopulum declinant; nemo omnium est qui sese tantis retibus satis expedire possit, tametsi multifaria huius negotij præcepta passim reperiantur. Hali nempe in quarto libro suo artem directionum asserit esse complementum iudicij natalis: quamobrem operæ precium decreuit, conpilare tabulas soluendi nodos: quæ cum nostra tempestate nusquam reperirẽtur, Parmensis quidam Archidiaconus auctorem secutus, tales contexuit ad medium sexti climatis, imbecilles tamen, ac à mente Ptolemęi eiusq; Commentatoris, imò & ab opinione propria (quòd fœdissimum est) longè alienas. Nam & ipse modum dirigendi per sphæram solidã, officio semicirculi Meridiano & Horizonti coeuntis summopere laudat, & Ptolemæum idem (quod uerum est) sensisse arbitratur. Postremo tamen in tabulis suis ponit fiduciam, ignorans utiq;, quantum his duobus modis interesse possit discriminis, quòd reuera 5. gradus (absurdum dictu) nonnunquam excedit. Erit forsitan qui Ptolemæum clarissimum eiusdem quoq; uitij insimulabit, quippe qui in tertio quadripartiti sui agens de spacio uitæ, paulò antequam ad duos dirigendi modos descendit, totius artis iacit fundamentum, necessarium quidem ratus in directione sequentis loci positionem similem fieri positioni antecedentis, id autem nequaquàm accidere, nisi locus sequens traducatur ad semicirculum, in quo statuebatur locus antecedens, quòd & Hali expositor eius confirmat. Verum duo modi eius cum exemplis à computatione directoria, qua memoratus Parmensis, ac penè omnes alij utuntur, non discrepant. Quid igitur de tam prudenti quàm eruditissimo uiro sentiemus? Nunquid tantum philosophum repugnantes asseruisse sententias impunè suspicabimur? Credo equidem Ptolemæum & serio tradidisse fundamentum artis per semicirculos huiusmodi, & modum numerandi apprimè calluisse, quamuis difficilem, adeò ut perplexum potius reddere t auditorem quàm doctum. Satius ergo putans prope uerum uersari, quàm ueritatem ipsam radicius quærendo desperare, supputationes quasdam breues ueritati propinquas exposuit. Quòd haud quaquàm mirum uideri debet, cum et nostra ætate Ragusimus ille Ioannes Gazulus tametsi Ptolemæi eruditissimi, Gebuq; acutissimi, ac aliorum plurimorum doctrinas acceperit, nullam tamen prorsus numerandi facilitatem in directionibus ac æquandis domibus aduexit, quinimo turbam maximam multitudine argumentationum concitauit. Quantum itaq; difficultatis in hoc existit negotio, satis liquet. Quid autem commodi nanciscemur, si generalis quædam artis directoriæ promptitudo nobis illata fuerit. ex libris Iudicum abunde colligetur, ubi tempora futurorum accidentium omnium per directiones potissimum inuestigari solent. Tantam igitur utilitatem præsul dignissime directionũ tabulæ afferent, quas petebas in quacunq; regione

latitu-

latitudinem 60. graduum non excedente, siue significator dirigendus in itinere solari existat, siue ab eo uersus alteram polorum secedat, in quibus maximam Solis ab Aequatore supposui declinationem trium & uiginti graduum cum dimidio, obseruationibus modernis maiorem non admittentibus. In omni demũ regione duodecim cœli domicilia constituere, ac in eis stellas distribuere, aliaq; plurima scitu iucundissima per hasce tabulas addiscere licebit. Eas itaq; primitias operum meorum suscipere digneris, quas ubi pro acumine ingenij tui probaueris, in publicum prodire iubeto.

Vale præsulum decus.

PRIMVM PROBLEMA.

Declinationem planetæ, habentis cognitum locum in Zodiaco, inuenire breuiter.

Quære signum & gradum loci planetæ in latere dextro tabulę declinationum, si fuerit in medietate Zodiaci ascendente, uel in sinistro, si in medietate descendente extiterit: latitudinem autem si quam habet, in latere superiori transuerso, & in angulo communi offendes declinationem Planetę quęsitam, septentrionalem quidem, si supra scalam rubram, meridianã autem si infra eam reperta fuerit.

Quod si longitudo planetæ, uel latitudo eius, aut utraq; non fuerit expressa in lateribus tabulæ, agendum est duplici introitu, ut assolet, hoc pacto.

Intrabis primo cum longitudine & latitudine proximo minoribus, & angulum communem extra notabis, eum deniq; angulum communem conferas ad numerum immediate sequentem, inferiorem uidelicet, si longitudo planetæ in latere sinistro tabulæ accepta fuerit, aut superiorem si in latere dextro; & de differentia horum numerorum accipies partem proportionalem secundum proportionem minutorum, iuxta gradus integros longitudinis existentium ad 60. minuta, addendam quidem angulo communi, si numerus sequens ipso angulo communi maior fuerit, minuendam autem si minor: quam partem proportionalem seruabis seorsum, cum nota additionis uel minutionis, uti res ipsa postulat.

Deinde pariformiter conferes angulum communem memoratum ad numerum ei collateralem, uersus sinistram quidem, si latitudo septentrionalis fuerit, uersus dextram autem, si meridiana, et de differentia anguli communis numeriq; collateralis accipies partem proportionalem, secundum proportionem minutorum latitudinis ad 60. addendam item ut prius, si numerus collateralis angulo communi maior fuerit, minuendam uero, si minor.

Has itaq; duas partes proportionales coniunges, si uel ambæ fuerint addendę, uel ambæ minuendæ, cogeriemq; earum angulo communi adijcies si addendæ fuerint, aut ab eo demes si minuendæ extiterint, collectus enim numerus aut relictus declinationem quæsitam manifestabit.

Si uero altera quidem memoratarum partium proportionalium addenda fuerit, altera autem minuenda, fuerintq; ipsæ æquales, angulus communis intactus pro declinatione planetæ habebitur.

Si autem inæquales extiterint, differentia earum addetur angulo communi, si maior pars proportionalis addenda erat, aut minuetur ex eo, si maior minuenda fuerat, & quod colligetur hoc pacto uel relinquetur declinationem planetæ computabit: septentrionalem quidem, ut prius, si supra scalam rubram steterit angulus communis, meridianam autem si infra.

Contingit autem nonnunquam scalam rubeam intercipere angulum communem & numerum immediate sequentem, tunc itaq; angulus communis iungendus est numero immediate sequenti, tunc itaq; angulus communis iungendus *De scala rubra.*

a est

eſt numero immediatè ſequenti, & cum aggregato agendum eſt pro parte proportionali elicienda, ut iam pridem cum differentia anguli communis numeriq; ſequentis.

Verum ſi poſtremo non poſſet fieri ſubtractio ab angulo communi, fiat è contrà, ſubtrahendo uidelicet angulum communem ab ipſa parte proportionali, & relinquetur declinatio quæſita, alterius tamen denominationis, quàm erat angulus communis.

Et ſi planeta nullam habuerit latitudinem, intrabimus præfatam tabulã cum uero loco planetæ, & ex directo eius in columnula media, ſupra quam nullus ſcribitur numerus latitudinis, habebimus declinationem quæſitam.

Simiſliter agemus planeta latitudinem habente in minutis duntaxat, hoc uno tamen adiecto, quòd declinatio in angulo communi occurrens conferatur ad numerũ ei collateralem: ſiniſtrum quidem, ſi latitudo ſeptentrionalis fuerit, dextrum autem ſi meridiana: & de differentia numerorum accipiatur pars proportionalis, quemadmodum ſuperius monitum eſt.

Quamuis autem de planetis ſolum hucuſq; ſermo ſit habitus, poteſt tamen hæc tabula ſtellis etiam fixis accommodari, illis uidelicet, quæ latitudinem 8. graduum ab itinere ſolari haud quaquàm egrediuntur.

In exemplo facilius forſitan accipies. Habeat planeta quiſpiam gradus 12. minuta 15. Virginis, cum latitudine ſeptentrionali graduum 3. & minutorum 24. Inueſtigaturus igitur declinationem eius ab Aequatore, uideo gradus 12. Virginis, in latere ſiniſtro tabluæ, 3. autem gradus latitudinis in fronte eiuſdem tabulæ, ſub quibus deſcendo uſq; aduerſum 12. graduum Virginis, ubi offendo numerum anguli communis graduum 9. minutorum 51. cuius quidem anguli communis & numeri immediatè ſubſequentis differentia eſt 23. minuta, de quibus accipio partem proportionalem ſecundum proportionem minutorum 15. longitudinis ad 60. quartam ſcilicet partem, quæ eſt ferè 6. minuta: Hæc autem pars proportionalis minuenda eſt, quòd numerus ſubſequens angulum communem minor eo fuerit.

Similiter confero angulum communem ad numerum ei collateralem uerſus ſiniſtram, cui latitudo planetæ ſeptentrionalis ſubiecta eſt, & de differentia quæ eſt 55. minuta accipio partem proportionalem ſecundum proportionem 24. minutorũ latitudinis ad 60. illa pars proportionalis eſt 22. minuta, addenda uidelicet, quòd numerus collateralis angulo communi maior occurrit. Dempta itaq; parte proportionali lõgitudinis ex parte proportionali latitudinis, manent minuta 16. quæ adiungo angulo communi, & tãdem inuenio declinationem planetæ ſeptentrionalem 10. graduum et 7. minutorũ. Reliquas autem uarietates operationũ cum & faciles ſint, & ex iam nunc memoratisediſci poſſint, ingenio tuo relinquendas cenſuimus, ne dicacitati potius quàm utilitati ſtuduiſſe uideamur.

SECVNDVM PROBLEMA.

Cuiuslibet ſtellæ fixæ uel planetæ declinationem generaliter computare.

Ex

Ex præcedenti didicimus, quo pacto cuiusuis stellę latitudinem 8. graduum non egredientis declinatio inuestigatur: cum aũt plurimæ stellæ fixæ multò latius euagentur, quarum influxus tum propter corporum magnitudinem, tum propter earum ad alias siue fixas siue erraticas colligantiam uel commixtionem summopere animaduertendus est, siquidem stellæ fixæ (Ptolemæi testimonio) dant dona grandia, quàmuis sæpenumero infausté finiant, decreuimus generalem declinationum computationem tradere, quo cautius atq; abundius genituras iudicaturi, accidentia futura præuidere possint. *8. Marum fixarum effectus.*

Intrabis igitur tabulam declinationis generalem cum longitudine stellæ, accipiendo uidelicet gradum longitudinis in latere tabulæ sinistro, si nomen signi in fronte tabulę repertum fuerit, in latere autem dextro, si in calce tabulæ nomen signi offenderis, & numerũ ex directo eius gradus occurrentẽ (qui inscribitur arcus) seorsum notabis cũ denominatione sua, septentrionali uidelicet, si signũ longitudinis stellę fuerit septentrionale, meridiana aũt si meridianum: Est aũt arcus huiusmodi portio circuli latitudinis per stellã incedentis inter Aequatorẽ & iter solare cõprehensus: Notabis etiam numerũ multiplicandũ gradui stellę obiectũ.

Deinde latitudinem stellæ iunges arcui seruato, si eandem cum ipso arcu denominationem habuerit, eritq; aggregatum eiusdem denominationis cum ambobus, aut alterum ex altero deme, latitudinem scilicet ex arcu memorato, aut arcum ipsum ex latitudine, si diuersarum fuerint denominationũ, residuum autem eam sortietur denominationẽ, quam habebat id à quo facta est subtractio.

Tale itaq; aggregatũ uel residuum si quod fuerit, erit arcus circuli latitudinis stellę, inter Aequatorem et uerũ locum stellæ contentus. Nã si nullum esset huiusmodi residuũ, quòd accidit, dum latitudo stellę & arcus circuli latitudinis inter Aequatorem & eclipticam æquales quidem, sed diuersarum existunt denominationum, nullam prorsus ab Aequatore declinationem stella ipsa pateretur.

Per sinum igitur rectum arcus iam nũc memorati multiplicabis numerũ multiplicandũ superius seruatum, & producto, quinq; primas figuras uersus dextrã reijcies, unitate relictis adiuncta, si reiectæ figuræ plus 50000. denotauerint. Hoc enim pacto sinum rectum declinationis stellę cognosces, cuius arcum tabula sinus exemplo suscitabit, qui quidem arcus erit declinatio stellæ quæsita, eãdemq; sortietur denominationem, quam habebat supra dictũ aggregatum uel residuum. *Quando stella nullã habeat declinationem.*

Quòd autem paulo remissius pręcepisse uideamur, si quando iuxta gradus loci stellæ minuta quæpiam iacuerint, prohibentia introitum tabulæ ad integros gradus factæ, hoc unum generaliter iubemus. agendum esse duplici introitu ubi opus fuerit, quemadmodum in præcedenti monuimus, ac in alijs tabularum operibus fieri solet: quòd qui non prius didicerit: quàm hasce aggreditur tabulas, ineptus doctrinę nostrę censebitur auditor. Iam proposito nostro breue accõmodabitur exemplũ. Stella quęuis in fine sit 12. graduũ Virginis, habens latitudinẽ borealem triũ graduum. Cõputaturo igitur mihi declinationẽ eius occurrit nomen signi in calce tabulę, quãobrem accipio duodecim gradus in latere dextro *Exemplũ.*

tabulæ, in quorum uersu supra nomen signi offendo arcum septentrionalem septem graduum & 39. minutorum, numerumq; multiplicandum 92528. arcui iam dicto addo 3. gradus latitutidinis stellæ, resultat arcus 10. graduum & 39. minutorum, cuius sinum rectum, scilicet 11089. duco in 92528. producuntur 1026042992. à quibus reijcio primas quinq; figuras uersus dextram, & relinquuntur 10260. sinus scilicet rectus declinationis quæsitæ, cuius arcum tabula sinus supponens semidiametrum circuli 60000. particularum reddit 9. graduum & 51. minutorum.

TERTIVM PROBLEMA.

Cuiuscunq; planetæ ascensionem rectam faciliter numerare.

INtra tabulam cœli mediationis cum uero loco planetæ ac latitudine eius si quam habet, & in angulo communi uidebis ascensionem rectam ab initio Arietis computandam.

Si tamen longitudinem planetæ, uel latitudinem eius, aut utramq; non inueneris, precise in lateribus tabulæ ingredere cum numeris proximo minoribus, & numerum anguli communis seorsum nota.

Deinde subtrahe dictum numerum anguli communis à numero immediate ei subiecto, accommodatis 360. gradibus si opus fuerit, & de differentia eorum accipe partem proportionalem secundum proportionem minutorum, quæ sunt iuxta gradus longitudinis ad 60. minuta.

Huiusmodi autem pars proportionalis semper est addenda in hoc negotio, scribe ergo eam seorsum cum nota additionis, similiter compara angulum communem ad numerum dextro lateri eius uel sinistro, uti processus latitudinis exigit, adiacentem, & minore eorum dempto ex maiore, de differentia accipio partem proportionalem secundum proportionem minutorum, iuxta gradus latitudinis existentium ad 60. minuta, quæ pars proportionalis addenda quidem erit quando numerus collateralis angulo communi maior existit, minuenda uero quando minor.

Si itaq; ambæ partes proportionales addendæ fuerint, collige eas, & congerie em angulo communi adijcias.

Si autem ambæ minuendæ aggregatum earum ex angulo communi minuas.

Quòd si altera quidem earum addenda fuerit, altera autem minuenda, differentiam earum adde angulo communi, si maior pars proportionalis fuerit addẽda, aut minue si maior minuenda fuit. Quod enim hac lege uel colligetur uel residuabitur, ascensionem planetæ rectam numerabit.

In huiusmodi autem operatione nonnunquàm colliguntur plures quàm 360. gradus, tunc itaq; 360. abijciendi sunt, & residuum pro ascensione recta tenendum.

Stellæ autem latitudine penitus carentis ascensionem rectam inuenies uel in columnula media, cui figura 0. supra scribitur, uel per tabulam ascensionum rectarum, quemedmodum communiter fieri solet.

Præterea

Præterea contemplandum est quod in principio tabulæ sub latitudine septentrionali, & in fine eiusdem sub latitudine meridiana contingit aliquando numerum anguli communis esse maiorem 356. gradibus, & numerum collateralem, dextrum inquam uel sinistrum, minorem 4. gradibus, aut è contra, tunc itaq; minori earum adiungendus est totus circulus 360. graduum, & aggregato utendum est, ac si fuisset repertum in tabula pro parte proportionali, ac cæteris operibus absoluendis.

Quicquid autem hactenus de planetis præcepimus de stellis quoq; fixis accipiendum est, latitudinem 8. graduum nequaquam exilientibus.

In exemplo repetatur stella qua usi sumus in primo problemate ex directo 12. graduum, sub latitudine trium graduum septentrionali inuenio gradus 164. minuta 34. cuius numeri & proximo subsequentis differentia est 56. minuta, de qua differentia accipio partem proportionalem secundum proportionem 15. minutorum ad 60. minuta, est autem pars illa proportionalis 14. minutorum addenda, item dictus numerus anguli communis demptus ex numero collaterali sinistro relinquit 24. minuta, quorum pars proportionalis secundum proportionem 24. minutorum ad 60. est fere 10. minuta addenda: congregatis itaq; huiusmodi partibus proportionalibus, & congerie earum adiecta ipsi angulo communi, resultabunt 164. gradus & 58. minuta: tantam igitur pronunciabo ascensionem rectam stellæ propositæ.

QVARTVM PROBLEMA.

Ascensionem rectam cuiusuis stellæ generaliter inuestigare.

INtra tabulam cœli mediationum generalem, cum uero loco longitudinis stellæ & arcum Aequatoris ex directo eius repertum seorsum scribe cum numero multiplicando, arcum inquam qui inscribitur radix ascensionum. Est autem arcus huiusmodi portio Aequatoris inter principium Arietis & circulum latitudinis stellæ comprehensa.

Deinde cum declinatione stellæ ingredere tabellam fœcundam, & numerum ibidem repertum duc in numerum multiplicandum iam pridem seruatum, à productoq; primas quinq; figuras uersus dextram abijce, nam residuus numerus solus, aut cum unitate si abiectæ figuræ plus 50000. significauerint, erit sinus rectus cuiusdam arcus Aequatoris intercepti à circulo latitudinis & circulo declinationis per uerum locum stellæ transeuntibus.

Quære itaq; arcum eius per tabulam sinus (eum arcum, qui à plerisq; uocatur differentia transitus stellæ per cœli medium) quem adde radici ascensionum, si uerus locus stellæ fuerit in medietate eclipticæ descendenti, quæ uidelicet à capite Cancri incipit, & ad initium Capricorni per Libram incedendo desinit, & stella ipsa habuerit declinationem septentrionalem, aut si stella fuerit in medietate ascendenti cum declinatione meridiana.

Si fuerit in medietate descendenti cum declinatione meridiana, aut in medieta-

te aſcendenti cum ſeptentrionali declinatione, minue prædictum arcum a radice aſcenſionum, quod enim hoc pacto eueniet, uel addendo uel minuendo, prout res ipſa poſtulat, erit numerus aſcenſionis rectæ computandus in Aequatore ab initio Arietis.

Quòd ſi nõ potuerit fieri ſubtractio differentiæ, tranſitus per cœli medium ab ipſa radice aſcenſionum adiungendus eſt integer circulus 360. graduum memoratæ radici, ut ab aggregato poſſit fieri ſubtractio.

Si præterea ſtella nullam habuerit declinationem, radicem aſcenſionum pro aſcenſione recta ſtellæ tenebis.

Hoc demum non eſt ſilentio prætereundum, quòd cum quilibet ſinus rectus minor ſinu quadrantis duos habeat arcus, unum ſcilicet minorem quadrante, alterum autem maiorem eo, tunc quidem accipiendus eſt arcus minor quadrante, quando arcus circuli latitudinis per ſtellam tranſeuntis, qui inter Aequatorem & uerum locum ſtellæ comprehenditur, minor quadrante circulum exiſtit, tunc autem maior, dum ille quadrantem ſuperabit.

Exemplũ. Verbi gratia repeto ſtellam, cui in ſecundo problemate tribui 12. gradus Virginis cum tribus gradibus ſeptentrionalis latitudinis. Intranti itaq; mihi tabulam cœli mediationum generalem cum 12. gradibus Virginis, obijcitur radix aſcenſionũ habens 160. gradus et 29. minuta, numerusq; multiplicãdus 24590. huic ſtellę in ſecundo problemate computata eſt declinatio ſeptentrionalis 9. graduum & 51. minutorum, quibus mediantibus per tabellam fœcundam duplici introitu inuenio multiplicatorem 17363. eum duco in 24590. procreantur 426956170. à quibus reijcio primas 5. figuras, uice earum tamen addendo unitatem relicto numero quinquidem excedunt 50000. ſic habeo 4270. ſinum rectum differentiæ tanſitus per cœli medium, cuius arcus eſt 4. gradus & 5. minuta, quem adiungo radici aſcenſionum, & reſultat aſcenſio recta quæſita 164. graduum & 34. minutorum.

QVINTVM PROBLEMA.

Ex aſcenſione recta cognita arcum ecliptica ſibi coaſcendentem indagare.

QVære numerum aſcenſionis rectæ in corpore tabulæ aſcenſionum rectarum, & ex directo eius in fronte quidem ſigni Zodiaci, in latere autem dextro uel ſiniſtro numerum graduum eiuſdem ſigni habebis.

Si autem aſcenſionem rectam propoſitam non inueneris preciſe in arca tabulæ memoratæ, accipe duas aſcenſiones rectas in tabula expreſſas, quarum altera quidem proximo minor extat aſcenſione propoſita, altera aũt immediate maior, & minor earum ex maiore dempta, numerum reliquum appellabis primum, qui quidem eſt portio uni gradui ecliptica debita.

Deinde prædictam aſcenſionem minorem ſubtrahe ab aſcenſione recta propoſita, & reſiduum pro numero ſecundo tenero. Tertius autem numerus ſemper erit 60. minuta. Duc itaq; ſecundum in tertium, & productum diuide per primũ, quod

quod namq; huiuſcemodi diuiſione partum fuerit, de minutis adijciendum erit, numero graduum eclipticæ ex directo aſcenſionis rectæ minoris inuento, & colligetur numerus graduum ac minutorum quos habet arcus eclipticæ quæſitus.

Sit uerbi gratia aſcenſio recta data 97. gradus & 54. minuta, quam non inuenio preciſè in arca tabulæ aſcenſionum rectarum: ſed proximo ea minor eſt 97. gradus & 38. minuta, proximo autem maior 98. gradus & 43. minuta, harum aſcenſionum differentia eſt unus gradus & 5. minuta, id eſt 65. minuta. Per reſolutionem ecce primus numerus, minor deniq; dictarum aſcenſionum ſubtracta ex aſcenſione recta propoſita relinquit 16. minuta, ſecundum ſcilicet numerum, tertius autem numerus erit 60. minuta, duco igitur ſecundum in tertium, producuntur 960. ſecunda, quæ diuiſa per primum numerum ſcilicet 65. minuta, eliciuntur 15. ferè minuta addenda 7. gradibus Cancri. Exemplum.

SEXTVM PROBLEMA.

Punctum eclipticæ cum quo ſtella quæuis cœlum mediat perſcrutari.

HUiuſmodi punctum eclipticæ non poteſt facilius ac breuius inueniri quàm per aſcenſionem rectam ipſius ſtellæ, quò certè præmittendum erat, qua lege talem aſcenſionem rectam computare liceret. Nam ipſa aſcenſio recta ſæpenumero utilis eſt & permaxime in directione ſignificatoris cuiuſcunq;, tametſi punctum, cum quo ſignificator talis cœlum mediat, ignoretur. Vnde ſeorſum docere libuit computationem aſcenſionum rectarum, ne quis directurus ſignificatorem quempiam arbitretur opus eſſe inuentione puncti, cum quo ſignificator huiuſmodi cœlum mediat.

Ad rem igitur redeuntes poſteaquàm ex altero duorum antecedentium documentorum, tertio ſcilicet uel quarto, didicimus aſcenſionem rectam ſtellæ propoſitæ, quæremus eam in tabula aſcenſionum rectarum ab Ariete incipientium, & ex directo eius in capite quidem tabulæ ſignum, in latere autem gradum eiuſdem ſigni, cum quo ſtella talis mediat cœlum duplici etiam introitu ſi opus fuerit offendemus. Talis enim aſcenſio recta communis eſt ſtellæ propoſitæ, & gradui uel puncto eclipticæ, cum quo ipſa mediat cœlum.

Huius autem problematis exemplum ſi deſideras, ad præcedens refugiendum eſt problema.

SEPTIMVM PROBLEMA.

Arcui eclipticæ quantocunq; in omni regione, cuius latitudo 60. gradus non excedit, aſcenſionem obliquam per computum certum deputare.

COgnita latitudine regionis ad quam operare inſtituis, aut eleuatione poli ſupra Horizontem quemcunq; uoles, intra tabulam aſcenſionum obliquarum ei ſubiectam cum ſigno & gradu finali arcus propoſiti, & in angulo communi habebis aſcenſionem obliquam reſpondentem arcui eclipticæ propoſito, computandam quidem à ſectione uernali, ſi arcus eclipticæ datus ab eadem ſectione ſumpſerit initium.

Si uero aliunde arcum quempiam eclipticæ inchoaueris, quære primo aſcenſionem obliquam principio eius debitam, ſecundum modum iam nunc traditum, deinceps pariformiter aſcenſionem obliquam fini eius attinentem addiſcas. Subtracta enim aſcenſione obliqua principij ab aſcenſione obliqua finis eius, accommodato integro circulo ſi opus fuerit, relinquetur aſcenſio obliqua arcus propoſiti.

Memento tamen agendum eſſe duplici introitu, ut aſſolet, ſi quæ ultra gradus integros minuta fuerint in arcu eclipticæ propoſito.

Si denique eleuatio poli minuta quædam habuerit, operare primo per eleuationem poli, proximo minorem ſecundum modum iam expoſitum.

Deinde per latitudinem proximo maiorem, & inuenta duplici aſcenſione obliqua ad eundem arcum eclypticæ minorem deme ex maiore, relicta namque differentia reſpondebit uni gradui eleuationis poli, de qua accipe partem proportionalem ſecundum proportionem minutorum ultra gradus integros eleuationis poli exiſtentium ad 60.

Hanc itaque partem proportionalem adde aſcenſioni obliquæ primæ, ſi ipſa minor extiterit aſcenſione obliqua ſecunda, aut ab ea minue ſi ipſa prima ſuperauerit ſecundam. Nam quod alter horum modorum eueniet, aſcenſionem obliquam numerabit quam quærebas. In exemplo facilius accipies.

Exemplũ.

Habeat arcus quidam eclipticæ 12. gradus & 15. minuta Virginis, uolo inuenire aſcenſionem eius obliquam in regione, cui polus eleuatur 47. gradibus & 45 minutis.

Intro cum 12. gradibus Virginis tabulam 47. graduum, & inuenio 155. gradus & 46. minuta, quos demo ex 157. gradibus & 7. minutis, quæ reſpondent 13. gradibus Virginis in eadem tabula 47. graduum: de differentia autem relicta, quæ eſt unus gradus & 21. minuta, accipio partem proportionalem ſecundum proportionem 15. minutorum ad 60. hæc pars proportionalis eſt 20. minuta ferè addenda primæ aſcenſioni obliquæ.

Item eandem aſcenſionem primam confero ad 155. gradus & 29. minuta, quos reperio iuxta 12. gradus Virginis in tabula 48. graduum, & de differentia quæ eſt 17. accipio partem proportionalem ſecundum proportionem 45. minutorum eleuationis poli ad 60. minuta, pars illa proportionalis eſt 13. minuta ferè ſubtrahenda ab aſcenſione obliqua prima.

Habeo itaque duas partes proportionales, quarum altera quidem eſt addenda primæ aſcenſioni obliquæ, altera autem minuenda ex ea: quamobrem demo minorem earum ex maiore, & relinquuntur 7. minuta, quæ adiecta ſæpe memoratæ aſcenſioni primæ conflant aſcenſionem obliquam qnæſitam 155. graduum & 53. minutorum.

OCTAVVM PROBLEMA.

Deſcenſionem obliquam cuiuſcunque arcus eclipticæ dimetiri.

Si

SI arcus eclipticæ propositus ab Ariete sumpserit initium, addè ei semicirculum, & aggregati arcus eclipticæ ascensionem obliquam ex præcedenti addiscas, dempto enim semicirculo ex iam memorata ascensione obliqua relinquetur descensio obliqua arcus propositi à sectione uernali computanda.

Sed arcu eclipticæ proposito aliunde sumente initium, quære ex præcedenti ascensionem obliquam arcus ei diametraliter oppositi. Nam tanta quoq; erit descensio obliqua arcus propositi. Arcus autem diametraliter oppositos appello eos, quorum principia inuicem & fines diametraliter opponuntur.

Descensio uero recta arcus quanticunq; in Horizonte uidelicet recto æqualis est, imò eadem ascensioni rectæ eiusdem arcus, quamobrem non erat opus seorsum tradere, quo pacto talis ascensio recta computaretur.

Exempli gratia uolo numerare descensionem obliquam ad finem 12. gradus Virginis in regione habente latitudinem 48. graduum: addo arcui eclipticæ proposito semicirculum, & perducor ad 12. gradus Piscium, quorum ascensio obliqua est 351. gradus & 21. minuta, ex qua ascensione demo semicirculum scilicet 180. gradus, & relictos 171. gradus cum 21. minutis pronunciabo descensionem obliquam arcus propositi. Exemplū.

Sed si libeat inuenire descensionem totius signi Virginis, accipio arcum ei diametraliter oppositum, scilicet totum signum Piscium, cuius principium quidem habet ascensionem obliquam 345. graduum & 10. minutorum, finis autem est 360. demptis igitur illis ex istis relinquuntur mihi 14. gradus & 50. minuta, & tanta erit descensio obliqua signi Virginis.

NONVM PROBLEMA.

Quantus arcus eclipticæ debeatur cuicunq; ascensioni uel descensioni obliquæ perscrutari.

MItte numerum ascensionis obliquæ in tabulam ascensionum obliquarum, eam uidelicet, cui latitudo regionis uel eleuatio poli data supra scribatur, & ex directo ipsius in summitate quidem tabulæ offendes signum Zodiaci, in latere autem numerum graduum eiusdem signi qui debentur ascensioni obliquæ propositæ, quemadmodum in quinto problemate circa ascensiones rectas monuimus.

Si tamen eleuationem poli septentrionalis nusquam inueneris precise, quod accidit minutis quotlibet iuxta gradus existentibus, operare primo per tabulam latitudinis proximo minoris secundum uiam iam nunc monstratam.

Deinde similiter per tabulam latitudinis proximo maioris, & de differentia arcuum eclipticæ inde elicitorum sume partem proportionalem secundum proportionem minutorum quæ adiacent gradibus integris propositæ eleuationis poli, ad quam partem proportionalem adde arcui eclipticæ per tabulam minoris eleuationis computato, si ipse minor fuerit arcu eclipticæ per tabulam maioris.

ris eleuationis reperto, aut ab eo minue si maior eo fuerit: & quod uel addendo colligetur, uel minuendo relinquetur, prout res ipsa postulat, numerabit arcum eclipticæ quæsitum.

Sed quantus arcus respondeat descensioni propositæ, sic scies, ipsi descensioni datæ semicirculum id est 180. gradus adde, & aggregato tanquàm ascensioni obliquæ arcum eclipticæ computa secundum modum iam nunc traditum, à quo arcu eclipticæ semicirculum, uidelicet 180. gradus aut sex signa communia, minue, quod enim relinquitur erit arcus eclipticæ quem petebas.

Hæc autem documenta tenent, ascensione uel descensione obliqua à sectione uernali initium sumente.

Nam si aliunde inciperet, inuenienda essent modo prædicto duo puncta eclipticæ, quorum alterum quidem principio, alterum autem fini talis ascensionis uel descensionis obliquæ responderet. Arcus enim eclipticæ duobus talibus punctis interceptus esset qui quærebatur. Is quidem modus erit exactæ computationis.

Nam si celerius ac propè uerum agere decreueris, licebit uti tabula ascensionum obliquarum, cuius inscriptio aut titulus uicinior erit latitudini regionis, uel eleuationi poli ad quem uolebas operari.

Nunc quo facilius ante dicta intelligantur, exemplaris computatio subicienda est: uerum quando iuxta gradus eleuationis poli non sunt minuta aliqua, operatio omnino similis erit ei quam in quinto problemate exposuimus.

Exemplũ. Sit itaq; eleuatio poli 47. graduum & 45. minutorum, ascensio autem obliqua proposita 70. graduum & 36. minutorum procedẽdo secundum modum quinti problematis inuenio 7. gradus & 26. fermè minuta Cancri ad eleuationem poli 47. graduum: similiter ad eleuationem poli 48. graduum reperio 8. gradus & 21. minuta Cancri.

Horum duorum arcuum eclipticæ differentia est 55. minuta, de quibus pars proportionalis secundum proportionem 45. minutorum ad 60. est 41. minuta ferè, quæ adiecta arcui eclipticæ ad 47. gradus reperto, conflant 8. gradus & 7. minuta Cancri, arcum scilicet eclipticæ quæsitum pro ascensione demũ obliqua.

Breue exemplum accipe: offertur mihi descensio obliqua 97. graduum & 34. minutorum, cui correspondentem arcum eclipticæ iubeor inuestigare ad eleuationem poli 48. graduum. Adiungo memoratæ descensioni 180. gradus, & resultant 277. gradus & 34 minuta, hunc arcum tanquàm ascensionem obliquam offendo in tabula 48. graduum iuxta 12. gradus Sagittarij, reiectisq; 6. signis communibus perducor ad 12. gradus Geminorum, qui uidelicet respondent oblatæ descensioni.

DECIMVM PROBLEMA.

Ascensionem obliquam stellæ cuiuscunq; in Horizonte quolibet dinumerare.

Vsus tabulæ differẽ- HIc nostro proposito seruiet tabula differentiarum ascensionalium, dum stella non pluribus quàm 32. gradibus ab Aequatore remouetur.

In

In latere enim sinistro dictæ tabulæ utriusq; partis tã borealis quam australis declinatio usq; ad 32. gradus ponitur, quòd nullus planetarum, quorum gratia potissimum tabulam ipsam condidimus, tantam declinationem egredi soleat. *tiarum ascensionalium.*

In latere autem superiori transuerso ponuntur eleuationes poli septentrionalis, supra Horizontes regionum ac circulos positionum usq; ad 60. gradus.

Arca autem tabulæ differentias ascensionum complectitur.

Eleuationem igitur poli quære in fronte tabulæ memoratæ, declinationem autem stellæ siue borealem siue australem in latere sinistro. Nam quod in angulo communi offendes, erit differentia ascensionum stellæ propositæ, quam demas ex ascensione recta stellæ superius inuenta, si declinatio stellæ borealis fuerit, aut eidem adijcias si australis extiterit. Sic enim uel relinquetur uel colligetur ascensio obliqua stellæ quam quærebas ad Horizontem propositum.

Quòd si stellæ fixæ ampliorem quàm 32. graduum declinationem habentis ascensionem obliquam computare libeat, intrabis tabellam fœcundam cum eleuatione poli supra Horizontem datum, & numerum ex directo eius occurrentem seruabis.

Similiter in eadem tabella accipies numerum cum declinatione stellę ad quamcunq; partem fuerit, horum numerorum alter alterum multiplicet, et productum per 6. extendatur, reiectisq; primis sex figuris uersus dextram, unitatem relictis iungendo, si reiectæ plus 500000. denotauerint, relinquetur sinus rectus differentiæ ascensionum stellæ propositæ, cuius sinus arcum docebit tabula sinum maximum habens 60000. particularium.

Cognita itaq; differentia ascensionum uteris ad ascensionem obliquam stellæ sciendam, quemadmodum iam pridem monuimus. Facilius tamen idem efficies, si tabula tua maximum sinum habeat 100000. Nam altero duorum numerorum per eleuationem poli ac declinationem stellæ inuentorum in alterum multiplicato, a producto abijcies quinq; figuras primas uersus dextram, unitate relictis adiuncta, si abiectæ plus 50000. repræsentauerint, & reliqui sinus recti arcum ex tabula memorata elicies, qui erit differentia ascensinum proposito tuo conducibilis.

Hic tamen animaduertendum, quòd quando differentia ascensionum ab ipsa ascensione recta subtrahi nequit, adijciendus est integer circulus 360. graduum, & ab aggregato minuenda est differentia ascensionum præfata.

Similiter quando differentia ascensionum adiecta ascensioni rectæ numerum maiorem 360. gradibus coaceruauerit, ipsi 360. gradus reijciendi sunt, relictis uidelicet pro ascensione obliqua computatis.

In exemplo repetatur stella secundi problematis, quæ habuit declinationem septentrionalem 9. graduum & 51. minutorum: uolo inuenire ascensionem eius obliquam in Horizonte, cui polus eleuatur 48. gradibus, per tabulam igitur differentiarum ascensionalium sub eleuatione poli 48. graduum cum *Exemplũ.*

declinatione

declinatione 9.graduum & 51.minutorum duplici introitu inuenio differentiam ascensionum 11.graduum & 7. minutorum, quam demo ex ascensione recta stellæ inuenta per tertium aut quartum problema, quæ 164.gradus, & 34.minuta, sic enim relinquitur ascensio obliqua 153.graduum & 27. minutorum.

Secundum uiam autem uniuersalem sic procedo.

In tabella fœcunda iuxta numerum eleuationis poli 48. graduum inuenio numerum 111062.quem seruo ad partem.

Item per eandem tabellam cum declinatione stellæ duplici introitu elicio alium numerum 16364. quem duco in prius seruatum numerum, producuntur 1728480568.ille numerus per senariũ multiplicatus reddit hunc 11570883408 abiectis autem primis sex figuris, adiectaq; unitate, ut assolet, remanet mihi sinus differentiæ ascensionum 11571.cuius arcus est 11.gradus & 7.minuta, cum quo tandem, ut prius, ascensio obliqua reperitur. Tabellã autem sæpe dictam non iniuria fœcundam appellare libuit, quod multifariam ac mirandam utilitatem instar fœcundæ arboris parere soleat.

VNDECIMVM PROBLEMA.

Descensionem obliquam stellæ cuiuscunq; numerare.

INuenta differentia ascensionum stellæ propositæ ex præcedenti documento, adde eam ascensioni rectæ ipsius stellæ declinationem septentrionalem habentis, uel minue huiusmodi differentiam ascensionum ab ea, si declinatio stellæ fuerit meridiana. Nam quod colligetur aut residuabitur, erit descensio obliqua stellæ propositæ.

Hic non est opus exemplo aliquo speciali, cum differentia ascensionum, quæ prius addita est, pro ascensione obliqua habenda, hic subtrahitur pro descensione obliqua, & e contra quæ ibi subtrahitur, hic additur.

DVODECIMVM PROBLEMA.

Arcum semidiurnum Solis uel alterius stellæ cuiuscunq; cognoscere.

Differentia ascensionalis quid sit.

INuenias modo prædicto 10. problematis differentiam ascensionum stellæ, quæ est etiam dimidia differentia diei æquinoctialis & diei inæqualis stellæ, eam igitur 90. gradibus adiunge, si stella declinationem septentrionalem habuerit, aut eam ex 90.gradib. minue pro stella declinationẽ habente meridianã.

Sic enim uel conflabis uel residuabis arcum semidiurnum stellæ propositæ, quo demum ex 180.gradibus dempto, relinquetur arcus *seminocturnus. Et item* arcu semidiurno duplato arcus diurnus, & seminocturno geminato nocturnus prodibit arcus.

Quorum utrumuis si per quindenos quidem gradus partiaris numerus horarum æqualium ei respondentium prosiliet, per duodenas autem particulas si secueris, quantitas horæ inæqualis uel temporalis emerget.

Idem quoq; efficeres per differentiam ascensionum, aut dimidiam dierum differentiam. Nam si eam per 15. diuiseris, & numerum quotiens senario

addideris

addideris pro ſeptentrionali declinatione. aut ex ea dempſeris pro meridiana, habebis numerum horarum æqualium temporis ſemidiurni, cuius duplum horas totius diei numerabit.

Si denicq; eandem differentiam aſcenſionum per ſenarium diſtribueris, & numero naſcenti 15. adieceris pro ſeptentrionali declinatione, aut ex 15. dempſeris pro meridiana, reſultabit quantitas horæ inæqualis.

Verum arcus diurnus Solis alia lege computari poterit, ſubtractis enim aſcẽſionibus obliquis loco Solis uero reſpondentibus ab aſcenſionibus obliquis puncto ei diametraliter oppoſito pertinentibus, relinquetur arcus diurnus ſolaris. Idem quoq; modus obſeruabitur de quocunq; puncto eclipticæ, tametſi Sol in eo non fuerit.

Quod ſi habueris tabulam aſcenſionum rectarum apud Capricornum incipientium, ſubtrahe aſcenſionem obliquam, cuius puncto eclipticæ debitam ab aſcenſione eius recta, & relinquetur arcus ſemidiurnus eiuſdem puncti.

Repeto exempli cauſa ſtellam cuius differentia aſcenſionalis eſt 11. gradus et 7 minuta, quemadmodum in decimo problemate oſtenſum eſt. quæ uocari ſolet etiam dimidia differentia diei æquinoctialis, & diei inæqualis: quare cum arcus ſemidiurnus æquinoctialis ſit 90. graduum, & declinatio ſtellæ ſit ſepientrionalis, addo eam 90. gradibus, & reſultant 101. gradus cum 7. minutis. Tantusq; habetur arcus ſemidiurnus ſtellæ propoſitæ.

Quẽ deinceps minuo ex 180. gradibus, & remanet arcus ſeminocturnus 78. graduum ac 53. minutorum. Item duplabo arcum ſemidiurnum eueniunt 202. gradus & 14. minuta pro arcu diurno.

Similiter duplabo arcum ſeminocturnum reſultant 157. gradus cum 46. minutis, arcus ſcilicet nocturnus.

Deinde arcum diurnum diuido per 15. & exeunt 13. horæ æquales cum 29. minutis horæ, accipiendo uidelicet uice uniuscuiusq; gradus relicti poſt diuiſionem 4. minuta, & pro ſingulis 15. minutis gradus unum minutum horæ.

Præterea diuido arcum diurnum per 12. & exeunt 16. gradus cum 51. minutis. Reſiduum enim facta diuiſione per 60. multiplicaui, & producto addidi minuta 14. collectumq; totum iterum per 12. diuiſi, aſcendunt igitur 16. gradus & 51. minuta in una hora temporali uel inæquali. Cętera omnia ſunt facilimæ computationis.

TREDECIMVM PROBLEMA.

Punctum eclipticæ, cum quo ſtella quæuis uel oritur uel occidit, inquirere.

INuenta aſcenſione obliqua ſtellæ propoſitæ per 10. problema, quære arcum eclipticæ ei reſpondentem per 9. Punctus enim terminalis eiuſdem arcus eclipticæ oriri ſolet cum ſtella propoſita.

Non aliter elicies punctum cum quo occidit, ſi prius didiceris quantus arcus eclipticæ deſcenſioni eius obliquæ tribuatur.

Eſt & alius modus inueniendi punctum cum quo ſtella occidit.

Si

Alius modus inuenendi punctum cum quo stella occidit.

Si enim ascensioni obliquæ ipsius stellæ arcum diurnum eius adieceris, prodibit ascensio obliqua puncti orientis dum stella occidit. Eo igitur puncto per 9. problema cognito, punctus quoq; diametraliter ei oppositus haud quaquam latebit, cum quo uidelicet stellam propositam oportet occidere.

Exemplo autem nullo opus est in præsentiarum: si nonum & decimum & undecimum problema satis didicisti.

Obiectio. Solutio. Directio.

Sed mirabitur forte quispiam, quod tam diu computandis ascensionibus & descensionibus immoratus sim, quandoquidem directiones præcipuè tractare instituerim: nemini profecto iniquum uideri debet illud, si quidem absq; noticia ascensionum ac descensionum directiones absolui nequeunt, imo directio non est aliud nisi arcus quidam Aequatoris coascendens uel condescendens, cuipiam arcui eclipticæ, aut alij interuallo duorum locorum cognitorum, ueluti inferius explanabitur. Quicunq; igitur in dirigendis significatoribus expeditus esse uolet, in computu ascensionum ac descensionum prius apprime exerceatur necesse est. Nunc ad negotium æquandarum domorum desendere libet, ea namq; res doctrinam directionum antecedere debet, cum significatores nonnunquam ad cuspides domorum, aut ipsæ cuspides ad alia loca dirigi solent.

Vsus Ascensionum.

DECIMVM QVARTVM PROBLEMA.

Initia duodecim domorum cœli rationabiliter constituere.

PRiusquam ad propositum absoluendum uenietur paulo altius ordiendum est, ne præcepta nostra inania ac fundamento carentia quispiam suspicetur.

1. modus æquandarũ domorum cœlestium.

Tres æquandarum domorum accepimus modos, quorum primus & usitatissimus arcum semidiurnum puncti eclipticæ orientalis, aut arcum Aequatoris ei similem in tres æquas secat portiones, & arcum seminocturnum eius in totidem, per puncta q; diuidentia et punctum eclipticæ orientale, ac polum mundi utrumq; fingit quinq; circulos magnos, qui cum Meridiano totum Zodiacum & totum cœlum in 12. partes diuidunt, quas uocant domos.

Hæc domorum distinctio quam fluxa & fragilis sit (pace uulgarium Astronomorum dixerim) ex problematibus, quæ super almagesto Ptolemæi conscripsimus, apertè quiuis intelliget. Nam ut ex multis pauca decerpantur, spacia domorum hac lege distinctarum magnitudines certas ac firmas seruare nequeunt, quas profecto seruandas esse confiteberis, si circa influxus aut proprietates huiusmodi domorum rectè philosophari libeat. Oriẽte quippe Cancro in regione, diem longissimum 16. horarum habente, 11. domus, uerbi gratia, spatium tenet duplum ei quod habet talis domus undecima ascendente Capricorno. In regione autem, cuius dies maximus 18. horas æquales complectitur, huiusmodi spacia 11. domus in proportione tripla reperiuntur. Cui ergo persuadebitur usquam, eundem esse influxum tam diuersis quàm inæqualibus cœli partibus? siue cœlum quiescens posueris, unde uirtutes 12. domiciliorum deriuentur, siue propter uariam cœli ad faciem terræ habitudinem proprietates domorum distinxeris,

etiam

etiam domos ipsas ab Horizonte truncari necesse erit, alteris quidem earum partibus supra Horizontem, alteris autem sub Horizonte manentibus, quod sententiæ unanimini priscorum philosophorum contraire liquet, asserentium sex quidem domos totas supra Horizontem, sex autem sub eo constitui. Præterea stellam aliquam iam dudum ortam in domo prima imprudens sistet Astronomus, stellam denique longè ab Horizonte occidentali sursum remotam sextæ domui turpiter intrudet, quæ res quantam & quàm horrendam iudicibus fallaciam ingerant, facile quisque persentiet.

Aliter autem Campano domos distinguere libuit, per circulos uidelicet quatuor magnos Horizonti & Meridiano coincidentes in utraque earum communi sectione. Nam super altera huiusmodi sectionum tanquam polo circulum magnum descriptum intelligit per uerticem capitis aut regionis transeuntem, huiusmodi quadrantes Meridiano & Horizonte interceptos in trinas æquales secari portiones imaginatur, & per puncta sectionum duci quatuor memoratos circulos, qui una cum Meridiano & Horizonte circulum uerticalem ante dictum, itemque eclipticam ac totum insuper cœlum in duodena partiuntur interualla, fitque hac distinctione, ut quæuis dicta 12. spacia cœli siue corporalia intellexeris, siue superficialia, æquales inuicem magnitudines fortiantur: eclipticæ tamen 12 partes inæquales semper reperiuntur, præterquam dum poli eclipticæ cum duabus Horizontis & Meridiani sectionibus concurrunt, quod accidit in regione cuius latitudo maximæ Solis declinationi æquatur. Modus tamen ille quàm alienus sit à mentibus antiquorum & quàm futilis, quòd circulo uerticali imaginario ac nihil uirtutis habenti innititur, silentio prætereundum censemus: ne paulo licentius euagari uideamur, cum & maxime pleniorem huius negotij absolutionem aliunde expectandam esse iusserimus. 2. modus.

Tertius modus habet medium inter duos memoratos, utroque scilicet eorum participans, diuidit enim quatuor quadrantes Aequatoris Meridiano & Horizonte obliquo interceptos in trinas æquales portiones, & per puncta sectionum ducit quatuor circulos magnos Meridiano ac Horizonti concurrentes in duabus eorum sectionibus: tales itaque sex circuli, assumptis scilicet Meridiano & Horizonte, totum cœlum in 12. spacia partiuntur, quæ nuncupantur domus. Hæ autem domus etsi inæquales inuicem sint in omni Horizonte obliquo, tamen suam quæque seruat magnitudinem inuariabilem. Sic sectiones quidem in Aequatore sumuntur uti in primo modo non in circulo uerticali, concursus autem circa locum domus distinguentium fit in sectionibus communibus Meridiani & Horizontis, ueluti in secundo modo non in polis mundi. Hac uia media secure ac rationabiliter gradiemur, ubi incommoditates duobus modis extremis obijci solitas haud quaquam formidabimus, uerum munimenta huiusce modi uiæ cum multa sint, & absque nimis longa digressione narrari nequeant, missa facimus in præsentiarum, ne disputare potius uideamur, quàm tabularum nostrarum usum explanare, quod profecto principaliter intendimus. 3. modus.

Hæsitanti

Hæsitanti autem quocunq; circa traditiones nostras liber secundus problematum almagesti perlegendus est, ubi & fundamenta tabularum nostrarum, & rationes æquandarum domorum ac dirigendorum significatorum, cum plerisq; rebus alijs iudicio astrologico conducibilibus abunde exposuimus.

Quomodo figuræ cœli erigendæ sint rationabiliter.

Nunc ad rem ipsam redeuntes docebimus, quo pacto in omni habitatione, cuius latitudo 60. gradus non excedit initia 12. domorum cœli cognoscenda sint.

Intra igitur tabellam domorum rationabilem cum latitudine regionis tuæ aut eleuatione poli borealis, & duos numeros ex directo eius occurrentes diligenter seruabis seorsum, quorum primus quidem inscribitur numerus polaris 11. & tertiæ, nonæ ac quintæ domorum, secundus autem 12. & secundæ, octauæ ac sextæ. Ille autem numerus polaris notificat arcum circuli magni, qui à polo boreali circulo domum quamuis determinanti ad rectos incidit angulos, deinde uideas cui tabulæ ascensionum obliquarum supra scribitur numerus polaris undecimæ domus, nam ea semper uteris in tua regione ad principia 11. & tertiæ domorum inuenienda.

Similiter explorandum est, quæ tabulæ ascensionum obliquarum supra scriptum habeat numerum polarem 12. & secundæ, nam illa semper præbebit initia 12. & secundæ domorum.

Hoc pacto ascensionibus rectis loco Solis respondentibus adde gradus Aequatoris à meridie exortos, qui per horas æquales distantiæ Solis à meridie cognoscuntur, unicuiq;, uidelicet, horæ 15. gradus tribuendo, & colligetur ascensio recta medij cœli, unde & per quintum problema medium cœli scietur.

Deinde ascensioni rectæ medij cœli 30. gradus adijcias, & congeries talis erit ascensio obliqua principij 11. domus debita: per tabulam itaq; 11. domus, cui uidelicet numerus polaris 11. domus supra scribitur, inuenies arcum eclipticæ dictæ ascensioni obliquæ respondentem. Finis enim huius arcus erit initium 11. domus.

Item eidem ascensioni obliquæ 11. domus iunge 30. gradus, & aggregatum erit ascensio obliqua pertinens ad principium 12. domus. Per tabulam igitur 12. domus quære arcum eclipticæ debitum, & habebis initium 12. domus.

Amplius memoratæ ascensioni obliquæ 12. domus adijcias 30. gradus, & colliges ascensionem obliquam ascendentis. Ex tabula ergo regionis tuæ per 9. problema gradum ascendentem & initium primæ domus addisces.

Postea ascensioni obliquæ ascendentis 30. gradus appone, & habebis ascensionem obliquam principij secundæ domus: unde & per tabulam suam modo sæpe dicto initium secundæ domus non latebit.

Similiter ascensioni obliquæ secundæ domus 30. gradibus adiectis resultabit ascensio obliqua tertiæ domus, ac demum per tabulam suam principio ipsius domus cognoscenda uia parabitur.

In summa sic accipies, ex ascensione recta medij cœli per additionem continuam trigenorum graduum nasci solent ascensiones obliquæ reliquarum quinq; domorum

domorum per tabulas eis accommodatas ſuſcitatæ.

Poſtquam autem ſex domorum capita memoratarum cognoueris, initia reliquarum quoq; ſex domorum haud quaquam latebunt, cum ſuam quæq; comparem per diametrum circuli aſpiciat.

Exemplum huic documento ſubiungendum eſt, habeat Sol 6. gradus Tauri, diſtans à meridie per tres horas & 14. minuta, uolo inuenire principia 12. domorum cœli ad latitudinem 48. graduum. *Exemplum.*

In tabella igitur domorum rationabili iuxta 48. gradus latitudinis inuenio numerum polarem 11. & tertiæ domorum 29. graduum & 2. minutorum, numerum autem polarem 12. & ſecundæ 43. graduum & 53. minutorum.

Hos numeros ſeruo ſeorſum, deinde per tertium problema inuenio aſcenſionem Solis rectam 33. graduum & 40. minutorum, pro unaquaq; autem hora diſtantiæ à meridie accipio 15. gradus Aequatoris, & pro quaternis minutis horę unum gradum, uti fieri ſolet, ſicq; arcum 48. graduum & 30. minutorum colligo, diſtantiam uidelicet ſolis à Meridiano, quam addo aſcenſioni Solis rectæ, ut emergat aſcenſio recta medij cœli 82. graduum & 10. minutorum, & ipſum cœli medium 22. gradus cum 49. minutis Geminorum, cui demum aſcenſioni rectæ addo 30. gradus, & reſultat aſcenſio obliqua reſpondens principio 11. domus 112. graduum & 10. minutorum, huic quoq; aſcenſioni obliquæ 11. domus addo 30. gradus, & prouenit aſcenſio obliqua 12. domus 142. graduum & 10. minutorum.

Similiter per additionem continuam trigenorum graduum efficio aſcenſiones obliquas ad initia reliquarum domorum. Primæ quidem, cuius initium eſt gradus aſcendens 172. gradus & 10. minuta, ſecundæ autem 202. gradus & 10. minuta, tertiæ uero 232. gradus & 10. minuta.

Deinde intro tabulam aſcenſionum obliquarum 29. gradibus eleuationis poli ſubiectam, cum aſcenſionibus obliquis 11, & tertiæ domorum, & per documentum noni problematis inuenio unum gradum cum 28. minutis Leonis pro 11. domo: pro tertia autem 15. gradus & 14. minuta Scorpionis.

Similiter cum aſcenſionibus obliquis 12. & ſecundæ domorum intro tabulam 44. gradibus ſuppoſitam, & eodem modo reperio unum gradum & 4. minuta Virginis pro 12. domo: pro ſecunda autem 17. gradus & unum minutum Libræ.

Non aliter cum aſcenſionibus obliquis aſcendentis, uel primæ domus per tabulam regionis uidelicet 48. gradibus ſubſcriptam elicio 24. gradus & 14. minuta Virginis pro aſcendente.

Sic inuenta initia ſex domorum à medio cœli incipientium, reliquarum autem domorum principia per diametrum prædictis opponuntur: quare & ipſa haud quaquam latebunt. Vſus autem ſum 29. gradibus uice 29. graduum & 2. minutorum, ſimiliter 44. gradibus uice 43. graduum & 53. minutorum, propter uicinitatem numerorum, cum tabulæ aſcenſionum obliquarum ad integros gradus

ſint factæ, hoc etenim pacto nihil erroris ſenſibilis ingeritur.

Si tamen curioſe magis quàm utiliter omnia ad ungem exhaurire libet, nonum problema conſulendum eſt. Iſte eſt modus generalis æquandarum domorum ad omnem poli eleuationem, quamuis nonnihil difficultatis in opere uideatur habere.

Quamobrem ſi celeriorem computationem deſideras, fac tabulam domorum regioni tuæ propriam, ſecundum modum iam traditum, incipiendo uidelicet à medio cœli uel aſcendente, commodius tamen eſt initium à medio ſumere cœli.

QVINDECIMVM PROBLEMA.

Duodecim domos cœli per circulos magnos in utroq; polo mundi coëuntes ad quamuis latitudinem 60. gradus non excedentem determinare.

ETſi modum hunc ualde uſitatum negligere iampridem decreuerim, tamen hoc in loco docere libuit, quo pacto ſecundum eum quoq; domus æquandę ſint uniuerſaliter in quacunq; regione, latitudinem 60. graduum non egrediente: quò abundius ſiue utilitas, ſiue amplitudo tabularum præſentium demonſtretur.

Modus operationis

Aſcenſioni igitur rectæ medij cœli ſi à ſectione uernali inceperit iunge 90. gradus, & reſultabit aſcenſio obliqua aſcendentis, qua mediante gradus aſcendens per tabulam regionis tuæ documento noni problematis innoteſcet.

Deinde arcum ſemidiurnum aſcendentis per 12. problema cognoſcas, quem diuide in tres partes æquales, eritq; unaquæq; illarum partium dupla ad quantitatem horæ temporalis diurnæ ipſius aſcendentis.

Tale autem duplum ſi dempſeris ex gradibus 60. relinquetur duplum horæ inæqualis nocturnæ aſcendentis, qualiter tunq; autem huiuſmodi duplum horæ inæqualis reperies, nihil refert.

Illud ergo duplum adde aſcenſioni rectæ medij cœli, & reſultabit aſcenſio recta principio 11. domui reſpondens, quæ per quintum problema arcum eclipticæ ſuum, atq; idcirco initium 11. domus eliciet.

Item aſcenſioni rectæ 11. domus adde prædictum duplum horæ inæqualis: ſic enim aſcenſionem rectam principio 12. domus debitam conflabis, unde & ipſa domus initium ſortietur notum.

Amplius aſcenſioni rectæ 12. domus prædictum duplum adde, & eueniet aſcenſio recta aſcendentis, cui horæ nocturnæ adiunge duplum ipſius aſcendentis, & colligetur aſcenſio recta initij ſecundæ domus, cui inſuper ſi idem duplum adieceris, aſcenſio recta principio tertiæ domui ſeruitura prodibit.

Ex his autem aſcenſionibus rectis ſi puncta eclipticæ eis reſpondentia neſcires elicere, inertiam tuam turpiter proderes, præſertim cum operatio hæc ſit uulgaris admodum, & ante hac in quinto problemate ſufficienter expoſita.

Habitis autem initijs ſex domorum à medio cœli incipientium, reliquarum quoq; initia diametraliter uidelicet iam memoratis oppoſita non latebunt.

Si

Si tamen exemplaris computatio placet, ponatur in medio cœli 12. gradus Tauri: uolo æquare domos secundum hunc modum. Ascensio recta huiusmodi medij cœli est 39. gradus & 33. minuta, quibus adiungo 90. gradus, resultant 129. gradus 33. minuta, ascensio scilicet obliqua ascendentis: & ideo ascendens ipsum 23. gradus & 5. minuta Leonis. Exemplum.

Huius ascendentis arcus semidiurnus per prius exposita est 105. gradus et 53 minuta, quem diuido in tres æquales portiones, quarum quæq; habebit 35. gradus cum 18. minutis fere, & tantum erit duplum horæ diurnæ ascendentis.

Hoc duplum demo ex 60. & relinquuntur 24. gradus cum 42. minutis: duplum igitur horæ diurnæ addo ascensioni rectæ medij cœli, quæ erat 39. gradus 33. minuta, resultat ascensio recta 11. domus 74. graduum & 51. minutorum.

Cui demum adijcio idem duplum, & emergit ascensio recta 12. domus 110. graduum & 9. minutorum.

Huic quoq; addo idem duplum ut nascatur ascensio recta ascendentis 145. graduum & 26. minutorum, omitto autem unum minutum, quia duplum horæ diurnæ defecit parumper in secundis à 35. gradibus & 18. minutis.

Item dictæ ascensioni rectæ ascendentis adiungo duplum horæ nocturnæ, sicq; colligo ascensionem rectam secundæ domus 170. graduum & 8. minutorum: huic denicq; aggregato super adiungo prædictum duplum horæ nocturnæ, & resultat ascensio recta tertiæ domui tribuēda 194. graduum cum 50. minutis.

Per illas ascensiones dirigente quinto problemate inuenio pro undecima 16. gradus & 4. minuta Geminorum, pro duodecima 18. gradus & 36. minuta Cancri, pro secunda 19. gradus cum 15. minutis Virginis, pro tertia autem 16. gradus cum 8. minutis Libræ.

Sic cuspides sex domorum orientalium inuentæ sunt: unde & reliquarum sex occidentalium initia propter diametralem oppositionem innotescent.

SEDECIMVM PROBLEMA.

Initia duodecim domorum cœli secundum reliquum modum extremum in regione qualibet latitudinem 60. graduum non extendente, breuiter constituere.

HVius uiæ æquandarum domorũ Campanus quidem speculationem exposuit, uerũ quo pacto executioni numeratorię mandaretur, silentio præterijt: quòd profectò uel imbecillitatẽ huius uiæ, uel difficultatem arguit executionis. Si enim Campanus stabilem arbitratus est hunc modum, quid eum arcere potuit, quo minus artificialẽ eius usum traderet, nisi ipsa negotij difficultas? aut si calculum eius in promptu habuit, idcirco non ædidisse uidetur, quòd huiuscemodi domorum distinctionem infirmã esse animaduertit: posset tamen subtiliter potius quàm utiliter ita imaginari. Ioannes aũt Ragusinus sola penè auctoritate Campani suffultus eum modum censuit prosequendum: nam cæterorum astronomorũ testimonia, quę sibi usuuenire arbitretur (pace eius dixerim)

non pro ſua ſed noſtra ſententia militant, & quidem apertiſſime, quod alibi latius diſſeremus. Is igitur poſtquam opinionem Campani ſectari decreuit, documentum ædidit æquandarum domorum, idoneum quidem propoſito ſuo ac Geometricis fundamentis ſtabilitum, uerum prolixum ac multifarium ſuſpitione'q; plenum, adeò ut ſine tædio intollerabili ne unam quidem domum quiſpiam in numeris etiam exercitatiſſimus elaboraret, quod & Gazulus ille apertè confiteatur in quarta parte operis ſui circa principium. Sex etenim multiplicationibus ſinuum per ſinus, & item ſex diuiſionibus ad cuſpidem unius domus inuenienda opus eſt cum pleriſq; additionibus ac ſubtractionibus & cautelis multiplicibus. Quamuis itaq; huiuſmodi domorum diſtinctio rationabiliter fundata eſſet, nondum tamen facultatem computandi nacti eſſemus, quam in pręſentiarum explanare decreuimus: non tanquam utilem futuram aſtrologo, uerum potius demonſtraturam tabularum noſtrarum amplitudinem.

1 modus computãdi.

Intra igitur tabellam domorum ſecundum Campanum & Gazulum cum eleuatione poli ad tuam regionem, & ex directo eius inuenies interſtitium decimæ domus cum numero polari undecimæ, item'q; interſtitium undecimæ cum numero polari 12. domus, hos numeros ſerua ſeorſum cum ſuis inſcriptionibus. Appellatur autem interſtitium arcus quidam Aequatoris duobus circulis domum quamuis claudentibus interceptus. Numerus uero polaris ſuperius eſt diffinitus. Illud tamen non eſt ignorandum, undecimam & tertiam domum eundem habere numerum polarem, ſimiliter duodecimam & ſecundam in numero polari communicare.

Quòd ſi congeriem interſtitiorum decimæ & undecimæ domorum ex 90. gradibus dempſeris, interſtitium 12, domus relinquetur, quod reuera eſt æquale interſtitio primæ domus: interſtitium aũt ſecundæ domus æquatur interſtio 11.

Quando itaq; libet æquare domos ſecundum hunc modum, inuenias prius medium cœli, ut aſſolet, cuius aſcenſioni rectæ adiungas interſtitium 10. domus, & reſultabit aſcenſio obliqua cuſpidi 11. domus reſpondens, qua mediatrice per tabulam numero polari 11. domus ſubiectam agnoſces punctum eclipticæ memoratæ aſcenſioni appropriatum, quod ſolẽt appellare cuſpidem ipſius domus.

Deinde aſcenſioni obliquæ 11. domus iunge interſtitium 11. domus, & colligatur aſcenſio obliqua 12. domus, cui item adiecto interſtitio 12. domus aſcenſio obliqua primæ domus, aut aſcendentis prodibit, quam etiam habebis, ſi aſcenſioni rectæ medij cœli ab Ariete incipienti quadrantem circuli adieceris.

Si demum aſcenſioni obliquæ aſcendentis interſtitium primæ domus addideris, aſcenſio obliqua ſecundæ domus colligetur: cui tandem interuallum ſecundæ domus adiunge, & habebis aſcenſionem obliquam tertiæ domus.

Vnaquæq; autem dictarum aſcenſionum obliquarum per tabulam numero polari ſuæ domus ſubiectam domus ipſius cuſpidem ſuſcitabit cognitam, quemadmodum pro 11. domo iam nunc monuimus.

Exemplo autem nullo opus eſſe reor, quoniam quidem modus iſte æquandarum

rum domorum negligendus est. Si tamen exercitij gratia periculum in hac re facere lubet, inuentis ascensionibus obliquis domorum quæsitarum cum numeris suis polaribus, cuspides earum non aliter quàm in decimoquarto problemate docuimus, addisces.

DECIMVM SEPTIMVM PROBLEMA.

Vtrum stella quæuis aut punctus ecliptica quilibet sit in parte cœli orientali uel occidentali cognoscere.

PArtem cœli orientalem uoco eam quæ incipit à medio cœli & ad angulum terræ per ascendentem eundo terminatur, medietatem uidelicet cœli quæ ad meridiem inspicienti à sinistris existit, reliquam autem medietatem quæ à dextris est occidentalem.

Subtrahe igitur ascensionem rectam stellæ propositæ ab ascensione recta medij cœli, ad instans considerationis tuæ, adiecto integro circulo si opus fuerit, & relinquetur elongatio stellæ à Meridiano, quæ si minor fuerit semicirculo 180. graduum, stellam ipsam in medietate occidentali dices esse, si autem maior 180. gradibus in orientali: quòd sit præcise 180. gradus complexa fuerit angulum terræ stella ipsa occupabit, si autem nihil fuerit residuum in medio cœli stellam esse pronunciabis.

Exemplum breue, medium cœli habeat 22. gradus & 49. minu. Geminorum, Sol autem in fine 6. gradus Tauri reperiatur, uolo tentare propositum huius problematis de Sole. Ascensio recta medij cœli est 82. gradus & 10. minuta, ascensio autem recta Solis 33. gradus & 40. minuta, quam minuo ex ascensione recta medij cœli, & relinquuntur 48. gradus cum 30. minutis, scilicet elongatio Solis à meridie minor semicirculo: quare Solem esse in medietate occidentali cœli enuncio. Exemplum.

DECIMVM OCTAVVM PROBLEMA.

Vtrum stella sit supra terram aut sub terra faciliter coniectare.

EX antedictis arcum semidiurnum stellæ ac seminocturnum addisce, deinde si stella fuerit in medietate occidentali, & elongatio ipsius à meridie minor arcu semidiurno, stella ipsa supra Horizontem constituetur.

Si autem dicta elongatio a meridie arcum semidiurnum superauerit, sub terra uersabitur proposita stella, elongatione demum a meridie & arcu semidiurno existentibus æqualibus stellam ipsam Horizon occidentalis tenebit.

At stella medietatem cœli orientalem occupante, demptis 180. gradibus ex elongatione eius a meridie, relinquetur elongatio eius ab angulo terræ, quæ si minor arcu seminocturno stellę extiterit, nondum supra terrã emersisse stellam dices: si aũt arcum seminocturnũ excesserit, supra terram proculdubio cõstituetur.

Quòd si arcus seminocturnus elongationi ab angulo terræ æqualis extiterit, stella ipsa Horizontem orientalem possidebit. Idem aliter experieris ac multò breuius, si prius ascendentem gradũ punctumq; ecliptica, quo cum stella oritur, & item punctũ cum quo occidere solet, rectè didiceris.

Hoc enim pacto ſcies utra medietatum eclipticæ ſupra Horizontem aut infra eum exiſtat, et ſi punctum cum quo ſtella oritur fuerit in parte orientali, nondum tamen occiderit, ſcies ſtellam quoq; nondum ortam eſſe: ſi autem punctum cum quo occidit fuerit in parte occidentali nondum tamen occiderit, ſcias ſtellam nõdum quoq; occidiſſe.

Pariformiter conijcies ſtellam eſſe ortam uel occidiſſe, ſecundum habitudinem puncti eclipticæ oriri uel occidere ſoliti cum ipſa ſtella, unde tandem ſitum ſtellę, ſupra terram nè fuerit, an ſub terra planè intelliges.

Exemplum. Exempli gratia repetatur ſitus Solis qui in præcedenti ponebatur, cœliq; medium idem nunc ſubijciatur ex duodecimo problemate ad latitudinem 48. graduum, concludo arcum ſemidiurnum Solis 105. graduum & 32. minutorum: erat autem elongatio Solis a meridie 48. graduum & 30. minutorum, minor ſcilicet arcu ſemidiurno; quare Solem ſupra terram eſſe pronuncio, cætera omnia facilia ſunt.

DECIMVM NONVM PROBLEMA.

Diſtantiam ſtellæ à Meridiano concludere.

QVamuis elongatio & diſtantia à Meridiano promiſcuè plerunq; ſumantur, in præſentiarum tamen diſcrimen quoddam eis interiecimus, quo ſermo noſter articulatior ac lucidior redderetur. In hoc nempe conueniunt, quod utraq; eſt arcus Aequatoris concluſus inter Meridianum regionis ac circulum per polos mundi & centrum ſtellæ tranſeuntem, uerum elongatio ſemper à ſtella uerſus Meridianum ſecundum ſignorum conſequentiam accipitur. Diſtantia aũt nonnunquam contra ſignorum ſequelam in Aequatore perpenditur: diſtantia deniq; ſemper aut tota eſt ſupra Horizontem, aut tota infra eum. Elongationis autem pars altera ſupra Horizontem nonnunquam exiſtit, altera autem pars ſub Horizonte.

Si igitur ſtella ſupra terram exiſtens nondum attigit Meridianum, ſubtrahe aſcenſionem rectam medij cœli ab aſcenſione recta ſtellæ: ſi autem Meridianum tranſierit ſupra terram adhuc exiſtens, aſcenſionem ſtellæ rectam ex aſcenſione recta medij cœli deme, & relinquetur diſtantia ſtellæ à Meridiano diurna.

Nõ aliter computabis diſtantiã eius à Meridiano nocturnã ſi ſub terra extiterit.

Si enim ante Meridianum ſub terra fuerit, aſcenſionem rectam anguli terræ ex aſcenſione recta ſtellę minues: ſi autem angulum terræ tranſierit, è contra aſcenſionem rectam ſtellæ ex aſcenſione recta anguli terræ minues, relinquetur enim nocturna eius a Meridiano diſtantia.

Verſa demum uice ſi ſtella ſupra terram exiſtens nondum attigerit Meridianum, diſtantiam eius a Meridiano ex aſcenſione ſua recta demes, & relinquetur aſcenſio recta medij cœli, aut ſi aſcenſionem ſuam rectam huiuſmodi a Meridiano diſtantiæ adieceris, ſtella ipſa Meridianum prætereunte, reſultabit aſcenſio recta medij cœli.

Similiter aſcenſionem rectam anguli terræ deprehendes, ſi ſtella talis ſub Horizonte depreſſa fuerit.

Hinc

Hinc postremo tam cœli medium quam angulum terræ per quintum problema cognoscendi dabitur facultas.

Præterea ascensio Solis recta dempta ex ascensione recta medij cœli, adiecto integro circulo ubi opus fuerit, relinquet elongationem Solis a meridie.

Ex qua tandem quot horæ æquales post meridiem effluxerint facile coniectabis, si prius per quindenos gradus memoratam distribueris elongationem. Hæc breuiter admodum propter sequentia perstringere fuit consilium, ne ampliandi libri potius, quàm res nouas ac utiles tradendi gratia calamum uersasse uideremur, præsertim cum alibi res huiuscemodi plerisq; in locis tractatæ sint, & quidem abundissime.

VIGESIMVM PROBLEMA.

Quantum eleuatur polus borealis supra circulum positionis stellæ cuiusuis, aut alicuius signati puncti in cœlo inuestigare.

HVc huc arrige aures tuas quicunq; totam dirigendi artem, nec non stellas in 12. cœli domicilijs sistendi artem nancisci uoles, cui negotio nonnullas tabulas exarauimus, quas tabulas positionum particulares appellare libuit: quarum unaquæq; in latere suo sinistro geminam habet declinationem, septentrionalem scilicet ac Meridianam usq; ad 32. gradus, tantàm enim declinationem planetæ nunquàm transiliunt, quorũ gratia potissimum dictæ tabulæ sunt contextæ. In latere autem superiori uidelicet transuersali numeros eleuationum poli supra circulos positionum ordinauimus, area uero tabulæ uniuscuiusq; distantias stellarum à Meridiano comprehendit.

Circulum autem positionis appello eum, qui per duas communes sectiones Meridiani & Horizontis, aut per centrum stellæ, aut punctum cœli signatum incedit, quem etiam Horizontem stellæ nonnunquam uocari licebit. *Circulus positionis.*

Si igitur stella uel punctus datus supra terram existit, quære declinationem eius in latere sinistro tabulæ ad regionem tuam factæ, in parte quidem superiori si septentrionalis, in parte autem inferiori si meridiana fuerit, et inuerte eius distantiam stellæ à Meridiano, siue ante meridiana fuerit, siue post meridiana, ex directo enim iam dictæ distantiæ superius in capite tabulæ offendes numerum eleuationis poli quæsitum. *Modus operationis*

Si uero stella aut punctus propositus sub Horizõte extiterit, quere declinationem eius in parte superiori lateris sinistri, si declinatio ipsa meridiana fuerit, aut in parte inferiori si septentrionalis: in area autem tabulæ distantiam stellæ à Meridiano, & secundum modum iam nunc expositum in fronte tabulæ offeretur numerus eleuationis poli quem quærebas.

At si stella declinatione caruerit, quærenda erit similiter distantia eius à Meridiano in ultimo uersu superioris paginæ, & ex directo eius in capite tabulæ inueniet ur eleuatio poli quæsita.

Meminisse tamen debes operandum esse duplici introitu, quando distantia à

Meridiano non integre offenditur in area tabulæ, quemadmodũ facere solemus per ascensionem rectam arcum eclypticæ ei debitum inuestigaturi.

Si tamen huiusmodi exactam computationem paulò remissius curaueris, uice numerorum tuorum introitualium accipere poteris numeros eis quàm uicinissimos in tabula saltem expressos, sic enim breuissime ac sine errore notabili propositum tuum consequeris.

Huius rei gratia sit stella quædam in fine 12. gradus Virginis habens latitudinem septentrionalem trium graduum, atq; idcirco declinationem septentrionalem 9. graduum & 51. minutorum, distantia autem eius à Meridiano supra terram sit 53. graduum & 10. minutorum: uolo experiri quanta sit eleuatio poli septentrionalis supra circulum positionis eius in regione latitudinis 48. graduum, si declinatio stellæ fuisset præcise 10. graduum, & distantia à Meridiano 52. grad. cum 37. minutis, inuenissem 38. gradus eleuationis poli in fronte tabulæ, uerum declinatio non habet plenè 10. grad. sed propinqua est 10. gradib. quare intranti mihi cum 10. gradib. partem tabulæ superiorem occurrit distantia à Meridiano proximo minor proposita distantia 52. graduum et 37. minutorum, proximo autem maior 55. graduum & 2. min. differentia harum distantiarum est 2. gradus & 25. minuta, quæ correspondent uni gradui eleuationis poli: hanc differentiam pono pro primo numero. Item minorem distantiam 52. grad. 37. min. subtraho a distantia proposita 53. grad. & 10. minu. & relinquuntur 33. minuta pro secundo numero.

Tertius autem numerus semper est 60. minuta, duco igitur secundum in tertium, nascuntur 1980. secunda, quæ diuido per 145. minuta æquipollentia duobus gradibus & 25. minutis exeunt fere 14. minuta, addenda 38. gradib. eleuatio itaq; poli supra circulum positionis stellæ est 38. graduum et 14. minutorum.

Quod si adhuc præcisius habere uolueris huiusmodi eleuationem poli eleuatione tua habente minuta iuxta gradus, intra primo cum declinatione & distantia a meridie in tabulam positionum proxime minorem, extrahendo eleuationẽ poli, ut iam dictum est, deinde cum declinatione eadem & distantia a meridie, in tabulam positionum proxime maiorem, & similiter elice eleuationem poli. De differentia autem harum eleuationum accipe partem proportionalem secundum proportionem minutorum existentium iuxta gradus latitudinis poli, quam adde primæ eleuationi si secunda maior fuerit ea, aut minue ex ea si secunda fuerit minor. Hoc enim pacto exactius compræhendes eleuationem poli quæsitam.

VIGESIMVM PRIMVM PROBLEMA.

In qua 12. domorum cœli stella quæuis aut punctum cœli quodlibet constituatur, explorare.

DE stella semper intelligas aut puncto cœli declinationem 32. graduum non egrediente.

Postquam igitur ex ante memoratis initia 4. domorum angularium cognoueris, itemq; puncta eclipticæ cum quibus stella proposita & oritur & occidit, ac

dit, ac cœlum mediat, aperte contemplaberis, sit ne stella in aliquo dictorum angulorum an non.

At si nullum talium angulorum obtinuerit, scies in qua quartarum cœli dictis punctis angularibus interceptarum consistet, ut autem domus eius inueniatur, hoc accipe præambulum.

Domus undecima & quinta, itemq; nona & tertia, quamuis duobus circulis positione differentib. determinentur, polus tamen borealis æqualiter ab utroq; eorum remouetur.

Similiter duodecima & sexta, item octaua & secunda per duos circulos positione diuersos cognoscuntur, uerum tamen polus borealis æqualiter supra utrunq; eorum eleuatur.

Cognito itaq; ex præcedenti quantum polus borealis supra circulum positionis stellæ eleuatur, confer numerum huiusmodi eleuationis ad numeros polares 11. & 12. domorum per quartum decimum problema repertos, nam si fuerit æqualis numero polari 11. domus, & stella ipsa in quarta orientali diurna mansérit, cuspidem undecimæ necessario occupabit.

Si autem in quarta orientali subterranea fuerit, in cuspide tertiæ domus constituetur, at si numeris prædictis sese non excedentibus stella quartam occidentalem sublimem tenuerit, in principio nonæ domus procul dubio reperietur.

Si uero in quarta occidentali subterranea extiterit, cuspidem quintæ domus eam obtinere necesse est.

Sed si eleuatio poli supra circulum stellæ positionis numerum polarem 12. domiciliq; æquauerit, eo ordine ac modo uti iam pridem coniectauimus stellam esse aut in principio 12. aut 2. aut 8 aut 6. domus. In principio uidelicet alicuius dictarum domorum, quæ cum stella proposita in eadem quarta collocatur.

Quod si eleuatio poli supra circulum positionis stellæ non fuerit æqualis alteri duorum numerorum polarium præfatorum, certum est stellam non esse in cuspide alicuius domorum memoratarum: unde si minor fuerit numero polari 11. domus, constabit stellam esse in 10. domo uel 9. uel 4. uel 3. prout quarta stellam ipsam tenens edocebit.

Si uero dicta eleuatio maior fuerit numero polari 11. domus, minor tamen numero polari 12. stella erit aut in 11. aut 8. aut quinta aut secunda. Si autem eleuatio poli sæpe memorata excesserit numerum polarem, 12. domus, stellam ipsam aut in 12. aut 6. aut 7. aut prima, modo suprascripto, comperies.

Poteris etiam aliter experiri stellam quamuis prope cuspidem alicuius domus existentem secundum locum longitudinis suæ, sit ne ante cuspidem an post eam, aut in ipsamet cuspide, præsertim si habuerit latitudinem, quam si non haberet nulla speciali doctrina opus esset.

Nam si stella fuerit prope medium cœli aut angulum terræ, punctus cœli mediationis stellæ comparatus ad medium cœli aut angulum terræ, te reddet in hac re certiorem. Si autem prope ascendentem fuerit, punctus eclipticæ cum quo stella oriri solet id edocebit.

Idem

Idem faciet punctus eclipticæ cum quo stella solet occidere, si circa gradum occidentem stella extiterit.

Si autem circa cuspidem alicuius domorum orientalium inuenta fuerit, scita eleuatione poli supra Horizontem eiusdem domus, circulum dico qui determinat initium talis domus, per tertium decimum problema quære punctum eclipticæ, cum quo oritur stella proposita supra Horizontem eiusdem domus, illud enim punctum cuspidi domus collatum, stellæ situm respectu memoratæ cuspidis demonstrabit.

Non aliter argumentaberis per punctum eclipticæ cum quo stella occidit sub Horizonte alicuius domorum occidentalium, eius uidelicet iuxta cuius principium stellam tuam offenderis. Nolim o lector multitudine uerborum absterrearis, facillimam enim ipse confiteberis operationem expositam, ubi mediocri prius exercitatione fueris usus.

Exemplum.

Exemplo tamen breui tranquilliorem animum tibi reddam. Stella præcedentis problematis habuit eleuationem poli supra circulum positionis suæ 38. graduum & 14. minutorum, ponatur ipsa in quarta orientali diurna, ex quartodecimo autem problemate ad latitudinem 48. graduum didici numerum polarem undecimæ domus 29. graduum & 2. minutorum, numerum autem polarem duodecimæ 43. graduum & 53. minutorum: cum itecq; eleuatio poli supra circulum positionis stellæ sit maior numero polari undecimæ domus, minor autem numero polari duodecimæ, concludo stellam esse in 11. domo. Similiter in casibus te expedies.

VIGESIMVM SECVNDVM PROBLEMA.

Vtrum duæ stellæ utcunq; propositæ in uno circulo positionis iaceant explorare.

Coniunctiones stellarum

TRibus modis stellarum coniunctiones Astronomi considerant, primum quidem secundum circulos per polos eclipticæ incedentes, quando uidelicet unus talis circulus ambas complectitur stellas.

Secundo, secundum circulos per polos mundi incedentes.

Tertio autem secundum circulos Meridiano & Horizonti in duabus eorum sectionibus coeuntes. Hoc genus coniunctionum Hali expositor quadripartiti Ptolomæi diligenter obseruare solet, quod magnã in natiuitatibus uim habeat.

Huiusmodi igitur coniunctionem in hoc proposito quærere instituimus. Sine ne uidelicet stellæ propositæ in uno tali circulo an non.

Id autem per uigesimum problema experiri nudum est.

Nam si stellis propositis una & eadem fuerit eleuatio poli borealis supra circulum positionis, coniunctas modo prædicto enuntiabimus, si uero diuersæ fuerint eleuationes poli supra circulos positionum, non erunt coniunctæ. Oportet autem ante omnia stellas ipsas in una & eadem quatuor quartarum Meridiano & Horizonte distinctarum constitutas esse.

Simili argumento utemur circa quæcunq; duo puncta cœli, quando eorum coniunctionem scire desideramus. Nullo hic exemplo opus esse reor propter facilitatem problematis.

Vigesi-

VIGESIMVM TERTIVM PROBLEMA.

Oblatis duabus stellis aut duobus punctis cœli possint ne modo prædicto coniungi infra diem unum naturalem, perscrutari.

SCito primum utriusq; stellæ declinationem ac ascensionem rectam: deinde subtrahe ascensionem rectam unius earum ab ascensione recta alterius, & relinquetur differentia huiusmodi ascensionum rectarum, quam uocabimus interuallum æquinoctiale, id autem interuallum minus esse debet semicirculo.

Nam si maius eueniret conuersim agendum esset, minuendo uidelicet ascensionem à qua prius facta fuit subtractio, ex reliqua accommodato integro circulo si opus fuerit: si autem huiusmodi interuallum semicirculo æquale esset stellæ propositæ, nequaquam modo prædicto coniungi possent.

Considera demum utra stellarum prior ad Meridianum perueniat, quod per ascensiones earum rectas facile conijcies, eam etenim præcedentem appellabimus, reliquam autem sequentem.

Præterea sciendum utra earum polo boreali uicinior existat, quod quidem ex declinationibus earum addisces. Nam si æquales & ad eandem partem Aequatoris habuerint declinationes, non erit earum coniunctio possibilis, nisi etiam simul secundum longitudinem Zodiaci coniungantur, quod genus coniunctionum in præsentiarum nobis non est curæ.

His ergo sic præstitis, quære utriusq; stellæ declinationem in latere sinistro tabulæ positionis ad regionem tuam factam, notando etiam partem declinationis utriusq;, primo quidem supra terram, deinde autem sub terra, & ex directo utriusq; declinationis percurre omnes numeros distantiarum à Meridiano usq; ad finem tabulæ. Nam si sub una & eadem eleuatione poli duas distantias à meridie inueneris, quarum differentia æqualis fuerit interuallo equinoctiali superius seruato, possibilis erit dictarum stellarum coniunctio. Item si inueneris duas huiusmodi à meridie distantias minus dicto interuallo æquinoctiali differentes, & alias duas prædictis immediatas plus eo interuallo differentes, iterum possibilitatem coniunctionis prædicabis.

Vt aũt scias in qua parte cœli coniunctio talis eueniet, illud accipe argumentũ. *In qua parte cœli coniunctio fiat.*

Quando stella præcedens meridianalior est sequente, & pars declinationis accepta est supra terram, memorata coniunctio erit in quarta orientali supraterranea: dum uero præcedens stella septentrionalior existit in quarta occidentali supraterranea, coniunctionem euenire necesse est.

Si aũt partem declinationis sub terra acceperis, & stella præcedens septentrionalior fuerit, quarta occidentalis subterranea ipsam coniunctionẽ habebit, parte itẽ declinationis sub terra si fueris usus, et stella præcedẽs meridionalior extiterit, in quarta orientali subterranea procul dubio tali cõiunctioni locus uẽdicabitur.

Horam præterea memoratæ coniunctionis operæ precium est agnoscere.

Per distantiam igitur utriusuis stellarum à Meridiano ac ascensionem eius

rectam

rectam, ascensionem quoq; rectam medij cœli cognosces, ex qua demũ & ascensione Solis recta, decimonono problemate dirigente, horas à meridie usq; ad instans dictæ coniunctionis exactas docte computabis.

Eleuationem poli autem borealis supra circulum positionis, in qua stellas ipsas coniungi oportebit, directe supra distantias stellarum à Meridiano in fronte tabulæ offendes.

Quod si unus quidem excessus distantiarum à Meridiano minor fuerit interuallo æquinoctiali supradicto, alter autem maior eo, atq; idcirco coniunctio stellarum possibilis, uti paulo ante recitauimus, uoluerisq; scire eleuationem poli borealis supra circulum positionis, in quo coniungentur, subtrahe minorem excessum distantiarum à maiore excessu distantiarum à meridie, & residuum uoca numerum primum.

Deinde excessum distantiarum repertarũ sub minore eleuatione poli confer ad sæpe dictum interuallũ æquinoctiale, differentiamq; eorum pro numero secundo statue; tertius aũt numerus in hoc negotio semper erit sexagenarius minutorum.

Duc itaq; secũdum in tertium, et productum partire per primũ, notata diligenter denominatione, quemadmodum in alijs similibus operationibus fieri solet, exibit enim numerus minutorum ad eleuationem poli minorem addendorum.

Hoc pacto eleuationem poli supra circulum positionis stellas ipsas coniungentem rationabiliter computabis.

Distantiam autem utriusuis stellarum a Meridiano pro instanti talis coniunctionis hac lege scrutaberis;

Vide quantum duabus distantijs proximis alterius duarum stellarũ interest, distantijs inquam, quas ante hoc contractauimus, acceptamq; partem proportionalem de differentia earum secundum proportionem minutorum eleuationis poli nuperrime inuentorum ad 60. adijcias primæ distantiæ à Meridiano si minorem secunda offenderis, aut ab ea minue, si maiorem.

Quicquid enim congregabitur uel relinquetur, prout res ipsa postulat, distantiam stellæ à Meridiano pro instanti coniunctionis patefaciet.

Voco autem primam distantiam à Meridiano eam, quæ sese lectori prius offert a latere sinistro tabulæ dextram uersus eunti, quæ uidelicet eleuationem poli minorem supra se habet.

Exemplum. Exempli gratia, habeat stella quędam 2. gradus Virginis cum latitudine meridionali 3. grad. alia autem in fine quarti gradus Virginis reperiatur cum latitudine septentrionali unius gradus: Sol uero 7. gradum Cancri obtineat, uolo explorare an dictæ stellæ possint coniungi infra diem naturalem in regione habente latitudinem 48. graduum, & si coniungentur, qua hora id futurum sit.

Prima stella per primũ problema habet declinationem septẽtrionalem 8. grad. Secunda uero declinationem septen. 11. grad. Item per tertium problema prima habet ascensionem rectam 152. grad. & 55. minutorum, secunda autem 156. grad. & 16. minutorum, subtraho itaq; alteram dictarum ascensionum ab altera

minorem

minorem ſcilicet à maiore, & relinquuntur 3. gradus cum 21. minutis, quos appello interuallum æquinoctiale.

Cum autem aſcenſio recta primæ ſtellæ ſit minor aſcenſione recta ſecundæ ſtellæ, neceſſe eſt primam ſtellam prius peruenire ad Meridianum quàm ſecundam: primam ergo uocabo præcedentem, & ſecundam ſequentem. Eſt autem præcedens ſtella meridionalior ſequente, id eſt, minus diſtat à polo auſtrali quàm ſecunda: cum declinatio eius ſeptentrionalis minor ſit declinatione ſeptentrionali ſequentis ſtellæ.

Quero itaq; declinationes dictarum ſtellarum in latere ſiniſtro tabulæ poſitionum ad 48. gradus latitudinis, ac ſi ſtellæ ſint ſupra terram, & ex directo earum tranſcurrendo binas earum à meridie diſtantias ſub eleuatione poli 46. graduum reperio diſtantiam præcedentis à meridie 77. graduum & 10. minutorum, diſtantiam autem ſequentis 80. graduum & 25. minutorum.

Harum diſtantiarum exceſſus eſt 3. gradus & 15. minuta, qui ſi fuiſſet gradus tres 21. minuta, iam concluderetur poſſibilitas coniunctionis futuræ in circulo ſupra quem polus eleuatur 46. gradibus: Sed quoniam dictus exceſſus minor eſt interuallo æquinoctiali, tranſeo ad ſequentes duas diſtantias, quarum una ſcilicet ſtellæ præcedentis eſt 83. gradus & 35. minuta, alia autem ſtellæ ſequentis eſt 86. gradus & 57. minuta.

Exceſſus harum diſtantiarum eſt 3. gradus & 22. minuta, maior uidelicet interuallo æquinoctiali: quare concludo ſtellas memoratas coniunctum iri.

Cum autem præcedens ſtella meridionalior ſit ſtella ſequente, & declinationes acceptæ ſunt ac ſi ſtellæ ſupra terram exiſtant, coniunctio earũ erit in quarta orientali ſupra terram.

Vt autem inſtans coniunctionis mihi innoteſcat, prius inuenio eleuationem poli ſupra circulum poſitionis in quo coniungentur, hoc pacto.

Exceſſus primarum diſtantiarum eſt 3. gradus & 15. minuta, exceſſus autem ſecundarum eſt 3. gradus & 22. minuta, quorum differentiam ſcilicet 7. minuta ſtatuo pro primo numero. Item exceſſum primarum diſtantiarum minuo ex interuallo æquinoctiali, & relinquuntur 6. minuta pro ſecundo numero: tertius autem ſemper eſt 60. minuta, duco ſecundum in tertium, producuntur 360. ſecunda, quæ diuido per 7. minuta, & exeunt 51. minuta ferè, addenda gradibus eleuationis poli, qui ponuntur directe ſupra primas diſtantias. Sic ergo comprehendo quòd polus borealis eleuatur 46. gradibus & 51. minutis ſupra circulum poſitionis, in quo coniunguntur memoratæ ſtellæ: deinde ſubtraho primam diſtantiam ſtellæ precedentis à ſecunda eius diſtantia, & remanent 6. gradus cum 25. minutis, quarum pars proportionis ſecundũ proportionem 51. minutorum ad 60. eſt 5. gradus 27. minuta, eam partem proportionalem addo diſtantiæ ſtellæ precedentis, reſultant 82. gradus & 37. minuta: tantamq; dico eſſe diſtantiam ſtellæ præcedentis à meridie, pro inſtanti coniunctionis ipſarum ſtellarum: quam diſtantiam demo ex aſcenſione recta ſtellæ præcedentis, & relinquitur aſcenſio

recta

recta medij coeli 70. graduum & 18. minutorum. Ascensio autem recta Solis est 97. gradus & 38. minuta, quam demo ex ascensione recta medij coeli, accommodatis 360. gradibus, & remanet elongatio Solis a meridie 332. graduum & 40. minutorum, qua diuisa per 15. exeunt 22. horae & 11. minuta, quibus a meridie transactis talem coniunctionem fieri necesse est. Hoc autem pro corolario tenendum est, quod quaelibet duae stellae propositae, aut penitus non coniungentur modo praedicto, aut bis coniungentur infra diem unum naturalem: semel quidem supra terram, & semel sub terra. Vnde si cum declinationibus assumptarum stellarum ingressus fueris tabulam, ac si stellae sint sub Horizonte, reperies, quod ipsae coniungentur sub terra in circulo, supra quem polus eleuatur 46. gradibus & 51. minutis, quemadmodum iam pridem accidebat.

VIGESIMVMQVARTVM PROBLEMA.

Dato quocunq; ascendente in Horizonte quolibet reliquarum domorum initia artificialiter elicere.

SVperius traditum est quo pacto 12. coeli domicilia rationabiliter constituantur, sumpto exordio ab angulo medij coeli: ibi enim per additionem continuam trigenorum graduum ad ascensiones rectas medij coeli ascensiones obliquas initijs reliquarum domorum respondentes, ac demum per tabulas singulis domibus appropriatas ipsarum domorum principia didicimus: hic autem dato ascendente ex tabula regionis per septimum problema ascensiones eius obliquas hauriemus, a quibus si 30. gradus reiecerimus, ascensio obliqua initio 12. domus debita relinquetur. Item ab eadem ascensione obliqua duodecimae domus 30. gradus adiecti ascensionem obliquam undecimae domui pertinentem relinquent, quod si adhuc 30. gradus dempseris, ascensionem rectam medij coeli residuam conspicies. Atq; trigenorum graduum additione continua super ascensiones obliquas ascendentis primae & secundae domorum, obliquae ascensiones conflari solent.

Superuacaneum autem uidetur denuo mouere, quo pacto praefatarum domorum principia per ascensiones suas obliquas inuestigentur, cum ante hac in quartodecimo problemate id satis explanatum sit. Quamuis itaq; memorati negotij gratia praesens problema aedidisse uideamur, tenore uerborum id persuadente, longe tamen spectabiliorem metam cursui nostro obiectare arbitrati sumus, quae ut cognitu facilior reddatur, paulo distantius ordiendum est.

Vsus huius problematis.

Solent egregij astrorum iudices uitam parentum ex genitura filij primogeniti, & e contra dijudicare, statuendo uidelicet locum Solis quidem in natiuitate diurna filij, locum aut Saturni in nocturna tanquam ascendentem patris, itemq; locum Veneris quidem in genitura diurna, Lunae autem locum in nocturna pro ascendente matris: hinc omnium domorum coeli eliciunt ordinem, accidentiaq; parentibus obuentura pronunciant. Non aliter faciunt pro moribus fratrum, filiorum, uxoris, amicorum ac inimicorum discernendis, ponendo uidelicet singulorum

gulorum significatores pro ascendente, quæ res quanti sit momenti uix paucis dare possemus: id ergo aliunde petendum silentio præterimus, ad cœptum negotium principale descensuri.

Cum itaq; figuram patris (uerbi gratia) erigere uolueris, & Sol (nascente filio) fuit in ascendente: non erit figura patris diuersa à figura filij.

Si autem Sol in Meridiano extiterit, adde ascensioni rectæ Solis 30. gradus, & habebis ascensionem rectam principij secundæ domus pro figura patris. Item ascensioni rectæ secundæ domus adde 30. gradus, et congregabitur ascensio recta principio tertiæ domus debita.

Similiter per additionem continuam trigenorum graduum habebis ascensiones rectas quartæ domorum, quintæ & sextæ, unde per quintum problema principia dictarum domorum, & deinde domorum oppositarum cognosces.

Sole autem in angulo occidentis constituto, cuspides domorum in figura patris non different à cuspidibus domorum filij, uerum aliud erit principium numerationis domorum: septima enim filij erit prima patris: octaua autem filij pro secunda patris accipietur, & ita de reliquis ex ordine.

Quòd si Sol in genitura filij angulum terræ occupauerit, non aliter quàm si in medio cœli esset operabimur.

Significatore autem paterno nullum dictorum angulorum tenente, eleuationem poli borealis supra circulum positionis in quo iacet significator, qui circulus Horizon etiam significatoris appellabitur, per uigesimum problema addiscas, & si fuerit dictus significator in medietate cœli orientali secundum Horizontem regionis, quære ascensionem obliquam eius in Horizonte suo per septimum problema: item numeros polares domorum ad eundem Horizontem. Quibus rebus compræhensis, per ea quæ in principio præsentis documenti exposuimus 22. cœli domos artificiose constitues.

Si autem significator patris fuerit in medietate cœli occidentali, accepta eleuatione poli supra Horizontem eius, numerisq; polaribus domorum inuentis ad eundem Horizontem: quære descensionem eius obliquam ad Horizontem suum. Deinde autem non aliter procede quàm ante hac de Sole præcepimus, quando in occidentali Horizonte filij ponebatur.

Memento tamen exposita hactenus duntaxat ueritatem tenere, quando significator huiusmodi latitudine prorsus carer.

Nam si latitudinem quantamcunq; haberet, inuenta eleuatione poli supra circulum positionis suæ, aut Horizontem suum, quære punctum cum quo oritur in eodem suo Horizonte, si fuerit in medietate orientali, aut punctum cum quo occidit in Horizonte suo, si fuerit in medietate cœli occidentali: deinde cum illis punctis eclipticæ procedas, quemadmodũ antea fecisti cum significatore non habente latitudinẽ. In exemplo sit genitura alicuius filij primogeniti 23. horis et 29. minutis à meridie transactis secundũ dies æquatos in regione habente latitudinem 48. graduum Sole existente in fine 26. gradus Cancri: uolo constituere locũ *Exemplum.*

Solis

Solis pro aſcendente patris & exinde totam domorum figuram elicere: Subtraho 23.horas & 29.minuta à 24.horis,remanent 31.minuta unius horæ, quæ æquipollent 7.gradibus & 45.minutis æquatoris, aut paralleli Solis, quare dico Solem diſtare à Meridiano uerſus orientem 7.gradibus & 45.minutis.

Declinatio autem Solis ſeptentrionalis erit 21. graduum: cum qua & prædicta diſtantia Solis à Meridiano ingredior tabulam poſitionis ad 48.gradus latitudinis, & ſecundum documentum 20. problematis inuenio eleuationem poli borealis ſupra circulum poſitionis Solis 6. graduum, eo autem circulo poſitionis deinceps utar tanquam Horizonte regionis habentis latitudinem 6. graduũ.

Intro igitur tabellam domorum rationalem cum 6. gradibus eleuationis poli, & ex directo eorum inuenio numerum polarem undecimæ 3.graduum, numerum autem polarem duodecimæ 5. graduum & 11. minutorum, quorum uice accipiam 5.gradus propter breuitatem.

Aſcenſio obliqua Solis ad latitudinem 6.graduum eſt 115. gradus & 42.minuta à qua aſcenſione ſubtraho 30.gradus, & remanent 85. gradus cum 42. minutis, pro aſcenſione obliqua duodecimæ domus patris: item ex aſcenſione obliqua 12.minu. 30.gradus, remanent 55.gradus & 42.minuta pro aſcenſione obliqua undecimæ, à qua demum ſubtractis 30.manent 25.gradus cum 42. minutis pro aſcenſione recta decimæ domus.

Rurſus per continuam additionem trigenorum graduum ad aſcenſionem obliquam aſcendentis, ſcilicet loci Solis, elicio aſcenſionem obliquam. 2. domus 145.graduum & 42.minutorum, aſcenſionem autem obliquam 3. domus 17. graduum & 42.minutorum.

Ex illis autem aſcenſionibus inuenio cuſpides dictarum domorum, eiſq; diametraliter poſitarum, quemadmodum in 14.problemate traditum eſt: decimæ quidem 27.gradus & 41.minuta Arietis, undecimæ autem 29. gradus, cum 2. minutis Tauri, duodecimæ 28.gradus & 4. minuta Geminorum, ſecundæ 24. gradus & 35.minuta Leonis, tertiæ uero 25.grad. & 25.minuta Virginis

VIGESIMVMQVINTVM PROBLEMA.

Significatorem quemlibet ad locum propoſitum quemcunq; ſecundum ſignorum ſeriem dirigere.

Dirigere.

PRiuſquam ad operationem deſcendetur, nonnulla uocabula præſentis negotij diffinienda ſunt. Dirigere non eſt aliud quàm mouere ſphęram, donec locus ſecundus traducitur ad ſitum primi: id autem tunc accidere Ptolemæus clariſſimus aſſerit, quando locus ſecũdus perducitur ad circulum in quo iacuit locus primus, aut è contra locus primus transfertur ad circulum in quo ponebatur locus ſecundus.

Circulum dico coincidentem Meridiano & Horizonti in utraq; eorum communi ſectione, quem ſuperius circulum poſitionis appellare libuit.

Locum autem primum uoco eum, cuius notitia prior in mentem uenit, aut quem

quem dirigere iubeor: locus uero secundus est is, ad quem dirigitur primus.

Locus primus plærunq; uocari solet significator, quod alicuius rei habitudinem in cœlo repræsentat, locus autem secundus non iniuria promissor appellabitur, quod futurum aliquod accidens siue bonum siue malum portentat. Significator itaq; habet uicem subiecti recepturi aliquid à promissore in certo tempore, cuius quidem temporis quantitatem directio metiri solet, quemadmodum iudicibus placet.

Directio autem est motus primi mobilis, quo uidelicet significator traducitur ad situm promissoris, aut e contra. *Directio.*

Solet tamen ut plurimum accipi directio pro arcu Aequatoris, qui coascendit uel condescendit interuallo, quod est inter significatorem & promissorem respectu circuli positionis, in quo alter eorum iacet: unde & dirigere tunc dicimur quando huiusmodi arcum docte numerabimus.

Duplicem autem directionem distinguere solent Astrologi, quarum una quidem uocatur directio directa, in qua uidelicet locus secundus, id est promissor, intelligitur transferri ad situm primi, id est significatoris. Dicitur etiam directio secundum signorum successionem. *Duplex directio.*

Alia autem uocatur conuersa, aut contra successionem signorum, in qua locus primus intelligitur transferri ad locum secundum: hac secunda directione utuntur iudices pro parte fortunæ ac alijs partibus, & pro planetis retrogradis.

Quando igitur significator in Meridiano constituitur siue supra terram, siue sub terra, subtrahe ascensiones eius rectas ab ascensionibus rectis promissoris, accommodato integro circulo 360. graduum si opus fuerit, & relinquetur directio significatoris quæsita. *Operatio.*

Si autem fuerit in ascendente, minue ascensionem eius obliquam ex ascensione obliqua promissoris: sic enim reliqua manebit directio significatoris quæsita.

Non aliter operaberis per descensiones si significator fuerit in occidente: subtracta enim descensione obliqua significatoris à descensione obliqua promissoris, relinquetur directio quæsita.

Verum si significator non fuerit, in aliquo dictorum angulorum, per 19. problema scias distantiam eius ab angulo medij cœli, si fuerit supra terram, aut ab angulo terræ si sub terra extiterit.

Deinde per 20. problema eleuationem poli borealis supra Horizontem significatoris, aut circulum positionis addiscas, postea ad eandem eleuationem poli computa ascensionem obliquam significatoris, per septimum quidem problema, si latitudine caruerit significator ipse, per decimum autem si quam habuerit latitudinem.

Similiter ad eandem eleuationem poli, ascensio obliqua promissoris inueniatur: demptaq; ascensione obliqua significatoris ex ascensione obliqua promissoris, residuum numerabit directionem quæsitam.

Si autem significator fuerit in parte occidentali cœli, descensio obliqua significatoris ad eandem eleuationem poli supra circulum positionis accepta, per octauum quidem problema si nullam habuerit latitudinem, per undecimum autem si quam habuerit latitudinem: descensio inquam minuenda est ex descensione obliqua promissoris eodem modo accepta, sic enim relinquetur directio quam quærebas. Nulla prorsus exemplari computatione hic est opus, si ea, quæ circa ascensiones ac descensiones iam dudum monuimus, & operati sumus, recte didicisti.

VIGESIMVM SEXTVM PROBLEMA.

Quo pacto significator quispiam contra signorum successionem dirigendus sit lucubrare.

DIrectio significatoris cuiuspiam contra signorum successionem similis est directioni secundum signorum consequentiam, hoc uno considerato, quòd ascensiones & descensiones accipiantur secundum positionem promissoris, & non significatoris, ac si promissor dirigendus esset ad locum significatoris.

Sic enim subtrahemus ascensiones rectas promissoris ab ascensionibus rectis significatoris, si in Meridiano constitutus fuerit promissor: ascensiones autem obliquas promissoris ad latitudinem regionis sumptas ab ascensionibus obliquis significatoris, si promissor in ascendente iacuerit, aut descensiones huius à descensionibus illius si angulum occidentis tenuerit promissor, & relinquetur directio expectata.

Quòd si nullus dictorum angulorum promissorem habuerit, inuenta prius eleuatione poli borealis supra circulum positionis suæ, subtrahemus ascensiones obliquas ipsius, ad eandem poli eleuationem sumptas ab ascensionibus obliquis significatoris, si in medietate orientali fuerit promissor: aut descensiones eius obliquas à descensionibus obliquis significatoris ad eandem poli eleuationem acceptis, accommodato integro circulo 360. graduum, quotiens opus fuerit, quod enim relinquetur, directionem ostendit quæsitam.

VIGESIMVM SEPTIMVM PROBLEMA.

Ad quem locum Zodiaci directio significatoris cuiuspiam secundum signorum successionem perueniat, in aliquo anno proposito inuestigare.

Si

SI in radice natiuitatis uel alterius principij fuerit significator in Meridiano, siue supra terram, siue sub terra, ascensioni rectæ eius adde numerum annorum transactorum ab instanti talis radicis, id est pro quolibet anno exacto unum gradum Aequatoris dictæ ascensioni rectæ adijcias, & aggregati tanquam ascensionis rectæ quære arcum eclipticæ, reiecto prius integro circulo si opus fuerit, directo enim significatoris memorati in anno sequenti eos annos quorum numerus additus est ascensioni rectæ præfatæ perueniet ad gradum qui sequitur immediatè arcum eclipticæ iam inuentum.

Si autem significator fuerit in ascendente, numerum annorum transactorum adde ascensioni obliquæ significatoris ad regionem propositam: aggregatum enim erit ascensio obliqua cuiusdam arcus eclipticæ, cui immediate annectitur gradus ad quem perueniet directio.

Cum igitur arcum eclipticæ per tabulam regionis agnoscas, non aliter operaberis per descensiones significatoris si in occidente extiterit: numero enim adiecto descensionibus obliquis significatoris prodibit descensio obliqua arcus eclipticæ terminali, ad gradum directionis quæsitum.

At si significator extra angulos dictos repertus fuerit, cognoscenda est eleuatio poli borealis supra circulum positionis aut Horizontem eius: deinde ascensionibus obliquis eius ad Horizontem eundem addatur numerus annorum propositorũ, si in medietate orientali manserit significator: aut descensionibus eius in eodem Horizonte, si in occidentali parte cœli iacuerit. Hoc enim pacto conflabis uel ascensionem obliquam, uel descensionem arcus eclipticæ quem immediate sequitur gradus directionis quæsitus: huiusmodi autem arcum eclipticæ per tabulam Horizonti sinificatoris seruientem, ac deinde gradum ad quem perueniet directio, facile concludes.

VIGESIMVM OCTAVVM PROBLEMA.

Quo pertingat directio significatoris propositi contra successionem signorum in anno quocunq; explorare.

COgnito prius arcu semidiurno significatoris cum arcu seminocturno per duodecimum problema, subtrahe numerum annorum exactorum ab ascensione recta significatoris, itemq; residuum ab ascensione recta medij cœli, accommodato integro circulo ubi opus fuerit, & relictum numerabit elongationem significatoris à meridie, quam habet dum positio sua similis est positioni promissoris, id est gradus quæsiti.

Huiusmodi igitur elongationem, si minor fuerit arcu semidiurno significatoris, pro distantia à Meridiano supraterranea occidentali tenebis.

Si uero maior arcu semidiurno significatoris fuerit, minor tamen semicirculo eam ex semicirculo deme, & relinquetur distantia significatoris à Meridiano subterranea occidentali.

At si maior fuerit semicirculo, semicirculus ex ea minuatur, & residuum si minus arcu seminocturno extiterit, pro distantia à Meridiano subterranea orientali computetur.

Si autem arcum seminocturnum excesserit, dempto eo ex semicirculo, quòd relinquetur distantia à Meridiano supraterranea orientali nuncupabitur.

Iam igitur cum declinatione significatoris & distantia à Meridiano per uigesimum problema eleuationem poli borealis supra circulum positionis addisce, ac deinde ascensionem obliquam significatoris, per septimum quidem problema si latitudine caruerit significator, per decimum uero si quam habuerit latitudinem, quemadmodum superius explanatum est, si saltem memorata distantia à Meridiano fuerit orientali.

Ex hac demum ascensione obliqua minue numerum annorum ab instanti radicis transactorum, & residuo tanquam ascensioni obliquæ congruentem arcum eclipticæ elicias per nonum problema. Nam ad gradum finalem huius arcus eclipticæ perueniet directio significatoris in anno proposito.

Si autem sæpe nominata distantia à Meridiano fuerit occidentalis, accipe descensionem obliquam significatoris, per octauum quidem problema si latitudine caruerit, per undecimum autem si latitudinem quantamcunq; habuerit: ex qua deniq; descensione obliqua minue numerum annorum exactorum, à tempore radicis usq; ad annum propositum exclusiue: & residuum erit descensio quædam obliqua, cui per nonum problema arcum eclipticæ elicias, nam gradus eius terminalis erit locus directionis quem petebas.

Exemplum. In exemplo habeat pars fortunæ 25. gradus Virginis, in genitura cuiusdam hominis ad latitudinem 48. graduum, medium autem cœli sit finis 25. graduum & 30. minutorum Cancri, uolo experiri quonam peruentura sit directio partis fortunæ in anno uigesimoquinto ætatis: inuenio arcum semidiurnum significatoris 92. graduum & 13. minutorum, arcum autem seminocturnum 87. graduum & 47. minutorum. Item ascensionem rectam significatoris 175. graduum & 25. minutorum, ascensionem autem rectam medij cœli 117. graduum & 28. minutorum.

Ex ascensione igitur recta significatoris demo 24. gradus annis prò transactis:

ſactis ab inſtanti genituræ, & relinquuntur 151. gradus cum 25. minutis, quos 24. demum ſubtraho aſcenſione recta medij cœli, coaſumptis 360. gradibus, et remanet elongatio ſignificatoris à meridie 326. graduum & 3. minutorum: dum ſcilicet eſt in ſitu promiſſoris.

Ex hac demum elongatione minuo 180. gradus, relinquitur numerus 146. graduum & 3. minutorum: qui cum ſit maior arcu ſemicirculo nocturno, neceſſe eſt ſignificatorem eſſe ſupra terram in quarta orientali, dum uidelicet eſt in circulo poſitionis promiſſoris, quare ſubtraho 146. gradus & 3. minuta à ſemicirculo 180. graduum, & relinquetur diſtantia ſignificatoris à Meridiano, dum eſt in ſitu promiſſoris: quæ quidem diſtantia erit ſupra terranea orientalis.

Significator denicq; habet declinationem ſeptentrionalem 2. graduum, cum qua, & prædicta diſtantia eius à Meridiano intro tabulam poſitionum ad 48. gradus latitudinis, & directè ſupra diſtantiam memoratam in fronte tabulæ inuenio 31. gradus, unde certior fio quod polus borealis eleuatur 31. gradibus ſupra circulum poſitionis, aut Horizontem ſignificatoris, dum eſt in ſitu promiſſoris.

Quare per tabulam aſcenſionum obliquarum ſubiectam 31. gradibus computo aſcenſionem obliquam ſignificatoris 173. graduum & 12. minutorum, ex quo minuo 24. gradus pro 24. annis tranſactis ab hora geniturę, relinquuntur 149. gradus cum 12. minutis, & tanta eſt aſcenſio obliqua loci ad quem perueniet directio, cui aſcenſioni per tabulam 31. graduum eleuationis poli reſpondent 3. gradus & 30. minuta Virginis. Directio igitur perueniet in anno uigeſimo quinto ad quartum gradum Virginis, quod erat exponendum.

VIGESIMVM NONVM PROBLEMA.

Tabulam poſitionum particularem pro quacunq; latitudine à 35. gradibus ad 60. incluſiue articulariter componere.

FEcimus quatuor huiuſmodi tabulas poſitionum particulares, unam quidem pro latitudine 42. graduum, aliam pro latitudine 45. tertiam pro latitudine 48. & quartam pro latitudine 51. graduum, tanquam ſuffecturas nobis ac alijs uiris ſtudioſis artis noſtræ amatoribus.

Quamuis autem ſaltum fecerimus per trinos gradus, ita quod pro binis gradibus medijs proprias tabulas non conſtituerimus, licebit tamen uti tabula quapiam, principaliter quidem & condigne pro latitudine cui inſcribitur, rationabiliter autem & prope uerum pro duabus latitudinibus collateralibus: quarum una quidem proximo minor eſt latitudine tabulam propriam habente, alia autem proximo maior ea. Sic tabula latitudini 42.

graduum inſcripta duabus etiam latitudinibus 41. & 43. graduum, haud inique accommodabitur: tabula denique pro 51. gradibus contexta 50. & 52. gradibus ſeruiet: non aliter de duabus reliquis intelligendum eſt. Quo circa ad latitudines 12. graduum, continuè ſeſe ſequentium memoratæ quatuor tabulæ accommodari poterunt.

Si tamen præciſius per has etiam quatuor tabulas operari uolueris latitudine tuæ regionis propriam tabulam non habente,

Accipe primo eleuationem poli ſupra circulum poſitionis, ueluti iam dudum præcepimus, per tabulam latitudinis proximo minoris tua latitudine.

Deinde ſimiliter accipe eleuationem huiuſmodi per tabulam latitudinis proximo maioris, nam tertia pars differentiæ duarum eleuationum hoc pacto inuentarum uni gradui latitudinis reſpondebit, eam itaque partem ſemel accipe pro uno gradu ſuperfluo ultra numerum latitudinis minoris, bis autem pro duobus.

Si demum minuta iuxta gradus integros iacuerint, accipe partem proportionalem de tertia parte prædicta, ſecundum proportionem minutorum reſiduorum ad 60. quam adde portioni unius gradus, aut duorum iam pridem inuentæ: aut eam ſolam tene, ſi nullus gradus ſed minuta duntaxat ultra latitudinem minorem abundauerint, & habebis portionem reſpondentem ſuperfluo latitudinis tuæ ultra latitudinem minorem, eam portionem adde eleuationi poli primæ, ſi ipſa minor fuerit ſecunda, aut ab ea ſubtrahe ſi ipſa exceſſerit ſecundam, & reſultabit eleuatio poli ſupra circulum poſitionis quam quærebas.

Quòd ſi operatio talis uel ſcrupuloſa uel minus iucunda uidetur, poteris exarare nouam ac propriam tabulam latitudini tuæ.

Huius enim rei gratia tabulam poſitionum generalem conſcripſimus à 35. gradibus latitudinis incipientem & ad 60. deſinentem.

Si autem ad latitudinem quampiam inferiorem 35. gradibus, aut ſuperiorem 60. gradibus, idipſum libeat efficere, ſecundus problematum almageſti conſulendus eſt, ubi exactiſſimè docetur, quo pacto et generalis poſitionum tabula, & particularis componi debeant.

In huius autem tabulæ generalis latere ſiniſtro ponuntur numeri eleuationum poli ſupra circulos poſitionum, ſed in fronte eius latitudines regionum à triginta quinque gradibus uſque ad ſexaginta quærendæ ſunt; area autem tabulæ arcus Aequatoris Meridiano & circulis poſitionum interceptos complectitur.

Conditurus igitur tabulam poſitionum particularem, ſcribe primo ſiniſtram uerſus duos ordines declinationum, primum quidem declinationis ſeptentrionalis à 32. incipientem, ad nihilque deſinentem, ſtella enim in

Aequa-

Aequatore existens nullam habet declinationem, secundum autem ordinem declinationis meridianæ ex uno quidem gradu nascentem, & ad 32. finientem. In altero enim horum ordinum quæri debet declinatio stellæ, quemadmodum superius traditum est. In capite autem exarandæ tabulæ scribe numeros eleuationum poli, ab uno quidem initium sumentes, ad latitudinem autem regionis tuæ desinentes.

Deinde intra tabulam generalem cum eleuatione poli unius gradus, & ex directo eius sub latitudine regionis tuæ offendes arcum quendam Aequatoris, quem adde singulis numeris in tabula differentiarum ascensionalium repertis sub eleuatione poli unius gradus, incipiendo iuxta 32. gradus declinationis, & aggregata huiusmodi per ordinem scribe in area tabulæ contexendæ sub eleuatione poli unius gradus, initium uidelicet statuendo iuxta 32. gradus declinationis. In fine autem huius ordinis scribe prædictum arcum Aequatoris solitarium: sic primum ordinem septentrionalem unius gradus absolutum habebis.

Postea ab arcu Aequatoris memorato subtrahe singulas differentias ascensionum prædictas, incipiendo iuxta declinationem unius gradus, & residua scribe iterum in area tabulæ exarandæ sub eleuatione poli unius gradus, initium sumendo apud declinationem unius gradus: hoc itaq; pacto primus ordo meridionalis unius gradus constituetur.

Non autem aliter procedas ad descriptionem duorum ordinum, quos requirit eleuatio poli duorum graduum.

Sumpto enim arcu Aequatoris per tabulam generalem, ex directo duorum graduum lateris sinistri, sub latitudine uidelicet regionis tuæ, eum arcum adde singulis differentijs ascensionum sub eleuatione poli duorum graduum positis, & summas additionum scribe in area tabulæ componendæ sub eleuatione poli duorum graduum, incipiendo iterum apud 32. gradus declinationis septentrionalis: in fine autem huius ordinis arcum Aequatoris quem addidisti pone solum, sicq; habebis ordinem secundum declinationis septentrionalis.

Ex eodem insuper arcu Aequatoris deme singulas differentias ascensionum prædictas, sub eleuatione poli duorum graduum inuentas. & residua scribe iterum in area tabulæ condendæ sub eleuatioue poli duorum graduum, incipiendo iuxta declinationem unius gradus, hoc etenim præcepto secundum ordinem declinationis meridianæ constitues pariformiter cæteros ordines, & tandem integram tabulam positionum regioni tuæ absoluies.

Exemplum autem hic nullum expectandum est, cum ante oculos habe-

as tabulam positionum generalem, & quatuor tabulas positionum particulares construere poteris.

Absolutam igitur habes artem directionum, cuius gratia potissimum hoc scribendi officium assumpsimus. Nunc de aspectibus quoq; & radiationibus differendum uidetur, quæ res non modo ad directiones pertinet, uerum etiam ad profectiones significatorum, quam ob rem prius de profectionibus paucula quædam exponentur, de hinc ad aspectus & radiationes calamum uertemus.

VIGESIMVM PROBLEMA.

Quo pertingat profectio significatoris cuiusqiam in tempore aliquo dato, explorare.

Profectio. PRofectio est æqualis quædam aut regularis incessio significatoris secundum signorum Zodiaci consequentiam.

Triplex profectio. Tripliciter autem proficiscitur significatores geniturę cuiuslibet, uti placet Ptolemæo circa finem quadripartiti sui, per annos uidelicet, menses, & dies.

Profectiio annua. In profectione annua unicuiq; anno solari tribuitur signum unum, & si genitura quæpiam habet in ascendente signum Arietis, secundus annus habebit signum Tauri, tertius signum Geminorum, & sic consequenter per ordinem annorum & signorum, usq; ad 12. annum, tertiusdecimus item annus habebit Arietem.

Initia autem annorum sumuntur à reditu Solis ad eum locum, in quo erat tempore geniturae, qui ob eam rem anni solares nuncupantur.

In principijs uero omnium annorum ac mensium gradus omnium signorum profectionis æquales esse oportet: unde si tertius Arietis ascenderet in genitura quapiam, ascendens proficisceretur ad tertium Tauri in secundo anno, & ita de cæteris.

Mensurna. In profectione autem mensurna unicuiq; mensi profectionali datur signum unum, ita quod signum profectionis annuæ sit signum primi mensis eiusdem anni: quamobrem annus solaris in tredecim partes æquales diuidendus est, quarum unaquæq; uocabitur mensis profectionalis.

Diurna. In profectione autem diurna duobus diebus tribus horis & 52. minutis ferè datur signum unum, ita quòd mensis profectionalis subdiuiditur in 13. partes æquales. Sic enim in principijs mensium profectionalium idem erit signum mensurnæ.

De annua profectione. De profectione itaq; annua hoc breue accipias, diuiso numero anno-

rum

rum transactorum à tempore genituræ per 12. & residuo computato à signo radicis, perduceris ad signum profectionis anni propositi.

Quo autem pertingat profectio mensurna ad quodcunq; tempus propositum in aliquo anno, sic intelliges.

Primo scias quantum tempus effluxerit ab initio anni solaris currentis, anni scilicet reuolutionis genituræ usq; ad tempus propositum, quod computabis hoc pacto.

Vide quantum tempus præterijt ab initio mensis usualis, in quo fit reuolutio natiuitatis usq; ad principium anni reuolutionis, hoc est ad diem eiusdem in quo incepit reuolui, & numerum dierum cum horis & minutis adde numero dierum reperto iuxta mensem usualem immediatè præcedentem in tabella mensium usualium.

In prima quidem si fuerit annus communis, in secunda autem si bisextilis extiterit, hoc tempus serua per totum annum solarem.

Similiter addisce quantum tempus effluxit ab initio anni Romanorum, usq; ad tempus propositum, dempto itaq; tempore prius seruato, ex iam nunc inuento tempore reuolutionis, relinquetur tempus transactum ab initio anni reuolutionis usq; ad tempus propositum.

Illud tempus quære in tabula mensium profectionalium, ueluti fieri solet, quando per medium motum cuiuscunq; planetæ quæritur tempus ei motui respondens.

Si enim precise inueneris in tabella prædicta dies tuos cum horis & minutis, linea numerorum ostendet numerum mensium profectionaliũ transactorum ab initio anni reuolutionis currentis.

Si autem non inueneris precise, apud dies proximo pauciores habebis menses exactos, ueruntamen dies huiusmodi pauciores demendi sunt ex diebus tuis quos in tabulam mittere uoluisti, & relinquentur dies superflui cum horis & minutis. Dabis itaq; cuilibet mensi profectionali signum unum, incipiendo à signo profectionis annuæ, dies autem superfluos cum horis & minutis mitte in tabulam profectionis mensurnæ, ex directo (ut fieri solet in medijs motibus computandis) habebis gradus cum minutis addendos signis & gradibus prius notatis, sicq; perduceris ad locum Zodiaci, quo perueniet profectio in fine totius temporis transacti, quòd si modo prædicto cum diebus superfluis ingressus fueris tabulam profectionis diurnæ, elicies numerum signorum & graduum computandorum à signo profectionis mensurnæ, ut perducaris ad locum profectionis.

Vice uersa autem, si qua suspitio fuerit alicuius futuri accidentis propter corpus, uel radium alicuius stellæ, & uolueris scire quo tempore anni profectio qualiscunq; illuc perueniat, cognito interuallo Zodiaci quod est à principio signi profectionis annuæ usq; ad locum suspectum, inuenies

tempus

tempus ei respondens, quemadmodum in opere mediorum motuum fieri solet, quando medio motui dato tempus suum computare uolumus: quid multis moror? Exemplari computatione facilius rem hanc intelliges, quam longa uerborum serie.

Sit reuolutio alicuius natiuitatis 6. diebus 5. horis & 10. minutis Martij, completis anno Christi 1467. currente, locus autem Solis tempore genituræ fuerit in fine uigesimi quinti gradus Piscium, quæ genitura ponatur fuisse anno Christi 1438. currente, uolo inuestigare loca profectionis Solis ad 7. dies Iulij completos in anno 1467. currente.

Subtraho 1438. à 1467. remanent 29. anni solares completi, quibus diuisis per 12. relinquuntur 5. sed quintum signum ab Ariete est Leo, illic ergo scilicet in 25. gradu Leonis, est locus profectionis annuæ in ultimo dictorum annorum, quare in anno trigesimo, qui incipit 6. die 5. hora 10. minuto Martij profectio pertinget ad 26. ~~Virginis~~, quia profectionem mensurnam iuxta Februarium inuenio 59. dies, quibus addo 6. 5. 10. Martij colliguntur 65. 5. 10. à principio uidelicet, anni 1467, ad initium anni reuolutionis trigesimi.

onis 25.

Similiter apud Iunium reperio 181. dies, quibus addo 7. dies Iulij, & resultant 188. dies à principio anni 1467. usq; ad tempus profectionis. Subtraho itaq; 65. 5. 10. à 188. & remanent mihi 122. 18. 50. quos non reperio in tabella mensium profectionalium, sed numerum proximo minorem 112. 9. 10. 28. subtraho à diebus prædictis, & relinquuntur 10. 9. 39. 32. ultra quatuor menses profectionales: mensis ergo quintus currens habet quintum signum à signo profectionis annuæ, id est, Capricornum, incipiendo à uigesimo quinto gradu eius

Postea intro cum diebus superfluis & horis ac minutis horarum, accipiendo signa gradus & minuta, quemadmodum fieri solet in computationibus mediorum motuum, sic inuenio 11. 6. 2. 8. quos addo 25. gradibus Capricorni proueniunt 6. 6. 28. Aquarij, locus scilicet profectionis mensurnæ ad 7. dies Iulij completos.

Similiter cum diebus superfluis intro tabulam profectionis diurnæ, & inuenio 4. 24. 23. 55. computanda à 25. gradibus Capricorni, & resultat 2. 19. 23. 55. profectio igitur diurna conuocans etiam profectionem mensurnam perueniet in fine 7. diei Iulij ad 20. graduum Geminorum.

Verum ut loca profectionum habeantur parata ad singulos dies totius anni, sic procedo, subtraho 5. horas 10. minuta, quæ erant iuxta dies reuolutionis

lutionis geniturae a 24. horis, remanent. 18. 50. cum quibus intro tabulam profectionis mensurnae, & modo supra dicto colligo 0. 50. 16. 28. illud addo 25. gradibus Leonis, resultant 25. 50. 16. Leonis. Hic est locus profectionis mensurnae, quam uocant etiam profectionem graduum ad Meridiem 7. diei Martij, cui loco addo portionem profectionalem unius diei, quae est unus gradus. 4. minuta & 4. secunda, & proueniunt 26. 54. 20. Leonis, locus scilicet profectionis ad Meridiem diei octaui Martij, & sic consequenter usq; ad finem totius anni.

Similiter cum 18. horis & 20. minutis per tabulam profectionis diurnae inuenio 10. 53. 34. quos addo 25. gradibus Leonis, resultant, 5. 53. 34. Virginis, locus scilicet profectionis diurnae ad Meridiem 7. diei Martij. Deinde per additionem continuam portionis profectionalis diurnae, quae est 13. 52. 52. loca profectionum diurnarum ad Meridies singulorum dierum totius anni constitues.

Quemadmodum autem huc usq; circa Solem actum est, de reliquis quoq; significatoribus fiet, quorsum tandem huiusmodi profectiones tendant, & quantam habeant efficatiam, alibi satis contemplaberis.

TRIGESIMVM PRIMVM PROBLEMA.

De Aspectibus tandem & radiationibus paucula quædam subiungere.

RAdiationes a nonnullis perpenduntur secundum Aequatorem circulum, quamuis diuersimode, plerique enim per ascensiones rectas locum radiationis inquirunt, siue stella radians in Meridiano fuerit, siue extra eum in quocunq; alio situ, pro radiatione enim sextili sinistra ascensioni rectae ipsius stellae addunt 60. gradus, & per ascensionem rectam inde resultantem quaerunt arcum eclypticae, cuius finem dicunt esse locum radiationis: pro radiatione autem sextili dextra subtrahunt 60. gradus ab ascensione recta stellae, & cum residuo ut prius quaerunt arcum eclypticae, ad cuius finem radiationem huiusmodi desinere arbitrantur.

Non aliter faciunt prae caeteris radiationibus addendo uel minuendo interualla unicuiq; radiationi propria. Alij autem exaequuntur id negotium per ascensiones quidam rectas stella Meridianum tenente, per obliquas autem ascensiones regionis si in oriente extiterit, aut per descensiones si in occidente. In locis autem medijs si reperta fuerit stella, radiationes inquirunt per ascensiones promiscuas, ac si uelint scrutari locum, ad quem pertingit directio stellae propositae.

Sunt

Sunt etiam qui simpliciter considerant radiationes per interualla graduum eclipticæ. Ioannes autem Blanchinus in circulo quodam super eclipticam inclinato, & per centrum stellæ habentis latitudinem quantamcunq; transeunte accipit interualla radiationum aut aspectuum, cuius quidem circuli polus uterq; est in circulo latitudinis stellæ: ex quibus denique interuallis loca radiationum in ecliptica elicit.

Longum esset particulariter explicare prædictos modos, ac infirmitatem eorum demonstrare, quare alibi abundius de his rebus tractare decretum est. Nunc uero breuiter intelligatur fundamentum nostræ opinionis, quælibet stella diffundit radium suum tam luminis quam qualitatis occultæ orbiculariter: cum autem infiniti sint tales radij efficatiores, deprehensi sunt quatuor quorum unus quidem est latus sexanguli æquilateri inscripti circulo per centrum stellæ transeunti, alius autem latus quadrati, tertius autem latus trianguli æquilateri, quartus uero diameter eiusdem circuli.

Quicquid autem hic dicitur de stellis, intelligendum quoq; est de punctis Zodiaci, alijsq; punctis in concauo primi mobilis existentibus, sub quibus stellæ ipsæ reperiuntur.

Sermo igitur præsens sonabit, ac si centra omnium stellarum sint in concauo primi mobilis, neq; id iniuria, cum in eo concauo loca stellarum consideremus.

Imaginor itaq; a puncto cœli quopiam duci lineam radialem, quæ sit æqualis lateri sexanguli æquilateri circulo magno primi mobilis inscripti, eamq; circumduci puncto radiante immoto, donec ad situm unde moueri cœpit redeat, ita tamen quod reliquus lineæ terminus semper adhæreat concauo primi mobilis: hoc pacto punctus terminalis lineæ memoratæ in concauo cœli describet circumferentiam circuli, quæ si secat eclipticam, eam in duobus punctis secat, quorum alterum quidem est ad dextram, alterum autem ad sinistram, hæc duo puncta sunt loca radiationis sextilis per excellentiam quandam, quamuis etiam ad omne punctum circumferentiæ descriptæ radius dictus sextilis terminetur.

Similiter intelligendum est de linea radiationis quadratæ, ac radiationis triangularis.

Cum ergo scire uolueris locum radiationis sextilis planeta habente latitudinem, intra tabellam radiorum cum latitudine planetæ & ex directo eius inuenies arcum quendam eclipticæ computandum a loco longitudinis planetæ, secundum successionem quidem signorum pro radiatione sini

ne ſiniſtra, contra ſucceſſionem autem pro radiatione dextra; cum denicq; arcum minue ex 180. gradibus, & reſiduum numera à loco longitudinis planetæ utrunq; pro radiatione triangulari. Locus autem radiationis quadratæ ſemper diſtat à loco longitudinis planetæ per quadrantem eclipticæ. Radiatio demum oppoſita ad terminum diametri deſinit. De radiationibus itaq; ac aſpectibus pauca quædam recenſere, ac tandem præſenti negotio finem libuit impo-

nere.

d

Latitudo Septentrionalis

♋	8		7		6		5		4		3		2		1		0		♊
G	g̃	m̃	g̃	m̃	g̃	m̃	g̃	m̃	g̃	m̃	g̃	m̃	g̃	m̃	g̃	m̃	g̃	m̃	G
0	31	30	30	30	29	30	28	30	27	30	26	30	25	30	24	30	23	30	30
1	31	30	30	30	29	30	28	30	27	30	26	30	25	30	24	30	23	30	29
2	31	29	30	29	29	29	28	29	27	29	26	29	25	29	24	29	23	29	28
3	31	28	30	28	29	28	28	28	27	28	26	28	25	28	24	28	23	28	27
4	31	26	30	26	29	26	28	26	27	26	26	26	25	26	24	26	23	26	26
5	31	24	30	24	29	24	28	24	27	24	26	24	25	24	24	24	23	24	25
6	31	21	30	21	29	21	28	21	27	21	26	22	25	22	24	22	23	22	24
7	31	18	30	18	29	18	28	18	27	18	26	19	25	19	24	19	23	19	23
8	31	15	30	15	29	15	28	15	27	15	26	16	25	16	24	16	23	15	22
9	31	11	30	11	29	11	28	11	27	12	26	12	25	12	24	12	23	12	21
10	31	6	30	6	29	6	28	6	27	7	26	7	25	7	24	7	23	7	20
11	31	1	30	1	29	1	28	1	27	2	26	2	25	2	24	2	23	3	19
12	30	55	29	55	28	55	27	56	26	56	25	56	24	57	23	57	22	57	18
13	30	49	29	49	28	49	27	50	26	50	25	50	24	51	23	51	22	52	17
14	30	43	29	43	28	43	27	44	26	44	25	44	24	45	23	45	22	46	16
15	30	36	29	36	28	37	27	37	26	38	25	38	24	39	23	39	22	39	15
16	30	29	29	29	28	30	27	30	26	31	25	31	24	32	23	32	22	32	14
17	30	21	29	21	28	22	27	22	26	23	25	24	24	24	23	25	22	25	13
18	30	13	29	13	28	14	27	14	26	15	25	16	24	16	23	17	22	17	12
19	30	4	29	4	28	5	27	6	26	7	25	8	24	8	23	9	22	9	11
20	29	55	28	55	27	56	26	57	25	58	24	59	23	59	23	0	22	0	10
21	29	46	28	46	27	47	26	48	25	49	24	50	23	50	22	51	21	51	9
22	29	36	28	36	27	37	26	38	25	39	24	40	23	40	22	41	21	42	8
23	29	25	28	26	27	27	26	28	25	29	24	30	23	30	22	31	21	32	7
24	29	14	28	15	27	16	26	17	25	18	24	19	23	20	22	21	21	22	6
25	29	3	28	4	27	5	26	6	25	7	24	8	23	9	22	10	21	11	5
26	28	51	27	53	26	54	25	55	24	56	23	57	22	58	21	59	21	0	4
27	28	39	27	41	26	42	25	43	24	44	23	46	22	47	21	48	20	49	3
28	28	26	27	28	26	29	25	31	24	32	23	34	22	35	21	36	20	37	2
29	28	13	27	15	26	16	25	18	24	19	23	21	22	22	21	24	20	25	1
30	28	0	27	2	26	3	25	5	24	6	23	8	22	9	21	11	20	12	0

Latitudo Meridiana.

☊	0		1		2		3		4		5		6		7		8		☋
G	g̃	m̃	g̃	m̃	g̃	m̃	g̃	m̃	g̃	m̃	g̃	m̃	g̃	m̃	g̃	m̃	g̃	m̃	G
0	23	30	22	30	21	30	20	30	19	30	18	30	17	30	16	30	15	30	30
1	23	30	22	30	21	30	20	30	19	30	18	30	17	30	16	30	15	30	29
2	23	29	22	29	21	29	20	29	19	29	18	29	17	29	16	29	15	29	28
3	23	28	22	28	21	28	20	28	19	28	18	28	17	28	16	28	15	28	27
4	23	26	22	26	21	26	20	26	19	26	18	26	17	26	16	26	15	26	26
5	23	24	22	24	21	24	20	24	19	24	18	24	17	24	16	24	15	24	25
6	23	22	22	22	21	22	20	22	19	22	18	22	17	22	16	22	15	22	24
7	23	19	22	19	21	19	20	19	19	19	18	19	17	19	16	19	15	19	23
8	23	15	22	15	21	16	20	16	19	16	18	16	17	16	16	16	15	16	22
9	23	12	22	12	21	12	20	13	19	13	18	13	17	13	16	13	15	13	21
10	23	7	22	7	21	7	20	8	19	8	18	8	17	8	16	9	15	9	20
11	23	3	22	2	21	2	20	3	19	3	18	3	17	3	16	4	15	4	19
12	22	57	21	57	20	57	19	58	18	58	17	58	16	58	15	59	14	50	18
13	22	52	21	52	20	52	19	52	18	53	17	53	16	53	15	54	14	54	17
14	22	46	21	46	20	46	19	46	18	47	17	47	16	47	15	48	14	48	16
15	22	39	21	40	20	40	19	40	18	41	17	41	16	41	15	42	14	42	15
16	22	32	21	33	20	33	19	33	18	34	17	34	16	34	15	35	14	35	14
17	22	25	21	26	20	26	19	26	18	27	17	27	16	27	15	28	14	28	13
18	22	17	21	18	20	18	19	19	18	19	17	20	16	20	15	21	14	21	12
19	22	9	21	10	20	10	19	11	18	11	17	12	16	12	15	13	14	13	11
20	22	0	21	1	20	2	19	3	18	3	17	4	16	4	15	5	14	5	10
21	21	51	20	52	19	53	18	54	17	55	16	55	15	56	14	56	13	57	9
22	21	42	20	43	19	44	18	45	17	46	16	46	15	47	14	47	13	48	8
23	21	32	20	33	19	34	18	35	17	36	16	36	15	37	14	38	13	39	7
24	21	22	20	23	19	24	18	25	17	26	16	26	15	27	14	28	13	29	6
25	21	11	20	12	19	13	18	14	17	15	16	16	15	17	14	18	13	19	5
26	21	0	20	1	19	2	18	3	17	4	16	6	15	7	14	8	13	9	4
27	20	49	19	50	18	51	17	52	16	53	16	55	14	56	13	57	12	58	3
28	20	37	19	38	18	39	17	49	16	41	15	43	14	44	13	45	12	47	2
29	20	25	19	26	18	27	17	28	16	29	15	31	14	32	13	33	12	35	1
30	20	12	19	13	18	15	17	16	16	17	15	19	14	20	13	21	12	23	0

Latitudo Septentrionalis.

♌	8		7		6		5		4		3		2		1		0		♉
G	g̃	m̃	g̃	m̃	g̃	m̃	g̃	m̃	g̃	m̃	g̃	m̃	g̃	m̃	g̃	m̃	g̃	m̃	G
0	28	0	27	2	26	3	25	5	24	6	23	8	22	9	21	11	20	12	30
1	27	46	26	48	25	50	24	52	23	53	22	55	21	56	20	58	19	59	29
2	27	32	26	34	25	36	24	38	23	39	22	41	21	43	20	44	19	46	28
3	27	18	26	20	25	22	24	24	23	25	22	27	21	29	20	30	19	32	27
4	27	4	26	6	25	8	24	10	23	11	22	13	21	15	20	16	19	18	26
5	26	49	25	51	24	53	23	55	22	57	21	59	21	1	20	2	19	4	25
6	26	34	25	36	24	38	23	40	22	42	21	44	20	46	19	48	18	49	24
7	26	18	25	20	24	22	23	24	22	26	21	28	20	31	19	33	18	34	23
8	26	2	25	4	24	6	23	8	22	10	21	12	20	15	19	17	18	19	22
9	25	45	24	47	23	50	22	52	21	54	20	56	19	59	19	1	18	3	21
10	25	28	24	30	23	33	22	36	21	38	20	40	19	43	18	45	17	47	20
11	25	11	24	13	23	16	22	19	21	21	20	24	19	26	18	28	17	31	19
12	24	54	23	56	22	59	22	2	21	4	20	7	19	9	18	11	17	14	18
13	24	36	23	39	22	42	21	45	20	47	19	50	18	52	1	4	16	57	17
14	24	18	23	21	22	24	21	27	20	29	19	32	18	35	1	7	16	40	16
15	24	0	23	3	22	6	21	9	20	11	19	14	18	17	17	20	16	23	15
16	23	42	22	45	21	48	20	51	19	53	18	56	17	59	17	2	16	5	14
17	23	23	22	26	21	29	20	32	19	35	18	38	17	41	16	44	15	47	13
18	23	4	22	7	21	10	20	13	19	16	18	19	17	22	16	25	15	28	12
19	22	45	21	48	20	51	19	54	18	57	18	0	17	3	16	7	15	10	11
20	22	25	21	29	20	32	19	35	18	38	17	41	16	44	15	48	14	51	10
21	22	5	21	9	20	12	19	16	18	19	17	22	16	25	15	29	14	32	9
22	21	45	20	49	19	52	18	56	17	59	17	3	16	6	15	10	14	13	8
23	21	25	20	29	19	32	18	36	17	39	16	43	15	46	14	50	13	53	7
24	21	5	20	9	19	12	18	16	17	19	16	23	15	26	14	30	13	33	6
25	20	44	19	48	18	52	17	56	16	59	16	3	15	6	14	10	13	13	5
26	20	23	19	27	18	31	17	35	16	38	15	42	14	46	13	50	12	53	4
27	20	2	19	6	18	10	17	14	16	17	15	21	14	25	13	29	12	33	3
28	19	41	18	45	17	49	16	53	15	56	15	0	14	4	13	8	12	12	2
29	19	20	18	24	17	28	16	32	15	35	14	39	13	43	12	47	11	51	1
30	18	58	18	2	17	6	16	10	15	14	14	18	13	22	12	26	11	30	0

Latitudo meridiana.

♌	0		1		2		3		4		5		6		7		8		♉
G	g̃	m̃	g̃	m̃	g̃	m̃	g̃	m̃	g̃	m̃	g̃	m̃	g̃	m̃	g̃	m̃	g̃	m̃	G
0	20	12	19	13	18	15	17	16	16	17	15	19	14	20	13	21	12	23	30
1	19	59	19	0	18	2	17	3	16	4	15	6	14	7	13	9	12	11	29
2	19	46	18	47	17	49	16	50	15	51	14	53	13	54	12	56	11	58	28
3	19	32	18	34	17	35	16	37	15	38	14	40	13	41	12	43	11	45	27
4	19	18	18	20	17	21	16	23	15	25	14	26	13	28	12	30	11	32	26
5	19	4	18	6	17	7	16	9	15	11	14	12	13	14	12	16	11	18	25
6	18	49	17	51	16	53	15	55	14	57	13	58	13	0	12	2	11	4	24
7	18	34	17	37	16	38	15	40	14	42	13	43	12	45	11	47	10	49	23
8	18	19	17	21	16	23	15	25	14	27	13	28	12	30	11	32	10	34	22
9	18	3	17	5	16	7	15	9	14	11	13	13	12	15	11	17	10	19	21
10	17	47	16	49	15	51	14	53	13	55	12	57	12	0	11	2	10	4	20
11	17	31	16	33	15	35	14	37	13	39	12	41	11	44	10	46	9	48	19
12	17	14	16	16	15	19	14	21	13	23	12	25	11	28	10	30	9	32	18
13	16	57	15	59	15	2	14	4	13	7	12	9	11	12	10	14	9	16	17
14	16	40	15	42	14	45	13	47	12	50	11	52	10	55	9	57	9	0	16
15	16	23	15	25	14	27	13	30	12	33	11	35	10	38	9	40	8	43	15
16	16	5	15	7	14	10	13	13	12	16	11	18	10	21	9	23	8	26	14
17	15	47	14	49	13	52	12	55	11	58	11	0	10	3	9	6	8	9	13
18	15	28	14	31	13	34	12	37	11	40	10	42	9	45	8	48	7	51	12
19	15	10	14	13	13	16	12	19	11	22	10	24	9	27	8	30	7	33	11
20	14	51	13	54	12	57	12	0	11	3	10	6	9	9	8	12	7	15	10
21	14	32	13	35	12	38	11	41	10	44	9	47	8	50	7	53	7	56	9
22	14	13	13	16	12	19	11	22	10	25	9	28	8	31	7	34	6	38	8
23	13	53	12	57	12	0	11	3	10	6	9	9	8	12	7	15	6	19	7
24	13	33	12	37	11	40	10	43	9	47	8	50	7	53	6	56	6	0	6
25	13	13	12	17	11	20	10	23	9	27	8	30	7	34	6	37	5	41	5
26	12	53	11	57	11	0	10	3	9	7	8	10	7	14	6	17	5	21	4
27	12	33	11	36	10	39	9	43	8	47	7	50	6	54	5	57	5	1	3
28	12	12	11	16	10	19	9	23	8	27	7	30	6	34	5	37	4	41	2
29	11	51	10	55	9	59	9	3	8	6	7	10	6	14	5	17	4	21	1
30	11	30	10	34	9	38	8	42	7	45	6	49	5	53	4	56	4	0	0

Latitudo Septentrionalis.

♍	8		7		6		5		4		3		2		1		0		V
♑	♑	m	♑	m	♑	m	♑	m	♑	m	♑	m	♑	m	♑	m	♑	m	♑
0	18	58	18	2	17	6	16	10	15	14	14	18	13	22	12	26	11	30	30
1	18	34	17	41	16	45	15	49	14	53	13	57	13	1	12	5	11	9	29
2	18	12	17	19	16	23	15	27	14	31	13	35	12	40	11	44	10	47	28
3	17	52	16	57	16	1	15	5	14	9	13	13	12	18	11	22	10	26	27
4	17	30	16	35	15	39	14	43	13	47	12	51	11	56	11	0	10	4	26
5	17	8	16	13	15	17	14	21	13	25	12	29	11	34	10	38	9	42	25
6	17	45	15	50	14	54	13	59	13	3	12	7	11	12	10	16	9	20	24
7	16	22	15	27	14	32	13	36	12	41	11	45	10	50	9	54	8	58	23
8	15	59	15	4	14	9	13	13	12	18	11	22	10	27	9	31	8	35	22
9	15	36	14	41	13	46	12	50	11	55	10	59	10	4	9	8	8	13	21
10	15	13	14	18	13	23	12	28	11	32	10	37	9	41	8	46	7	50	20
11	14	50	13	55	13	0	12	5	11	9	10	14	9	18	8	23	7	28	19
12	14	27	13	32	12	37	11	42	10	46	9	51	8	55	8	0	7	5	18
13	14	4	13	9	12	14	11	19	10	23	9	28	8	32	7	37	6	42	17
14	13	41	12	46	11	51	10	56	10	0	9	5	8	6	7	14	6	19	16
15	13	17	12	22	11	27	10	32	9	36	8	41	7	46	6	51	5	55	15
16	12	53	11	59	11	4	10	9	9	13	8	18	7	23	6	28	5	32	14
17	12	30	11	35	10	40	9	45	8	50	7	55	7	0	6	5	5	9	13
18	12	6	11	11	10	16	9	21	8	26	7	31	6	36	5	41	4	45	12
19	11	43	10	48	9	53	8	58	8	3	7	7	6	12	5	17	4	22	11
20	11	19	10	24	9	29	8	34	7	39	6	43	5	48	4	53	3	58	10
21	10	55	10	0	9	5	8	10	7	15	6	19	5	24	4	29	3	35	9
22	10	31	9	36	8	41	7	46	6	51	5	56	5	1	4	6	3	11	8
23	10	7	9	12	8	17	7	22	6	27	5	32	4	37	3	42	2	47	7
24	9	43	8	48	7	53	6	58	6	3	5	8	4	13	3	18	2	23	6
25	9	19	8	24	7	30	6	35	5	40	4	45	3	50	2	55	2	0	5
26	8	55	8	0	7	6	6	11	5	16	4	21	3	26	2	31	1	36	4
27	8	31	7	35	6	42	5	47	4	52	3	57	3	2	2	7	1	12	3
28	8	8	7	12	6	18	5	23	4	28	3	33	2	38	1	43	0	48	2
29	7	44	6	49	5	54	4	59	4	4	3	9	2	19	1	19	0	24	1
30	7	20	6	25	5	30	4	35	3	40	2	45	1	50	0	55	0	0	0

Latitudo meridiana.

♈	0	1	2	3	4	5	6	7	8	V
G	g̃ m̃	g̃ m̃	g̃ m̃	g̃ m̃	g̃ m̃	g̃ m̃	g̃ m̃	g̃ m̃	g̃ m̃	g̃
0	11. 30	10 34	9 38	8 42	7 45	6 49	5 53	4 56	4 0	30
1	11. 9	10 13	9 17	8 21	7 24	6 28	5 32	4 36	3 40	29
2	10. 47	9 52	8 56	8 0	7 3	6 7	5 11	4 15	3 19	28
3	10. 26	9 30	8 34	7 38	6 42	5 46	4 50	3 54	2 58	27
4	10. 4	9 8	8 13	7 17	6 21	5 25	4 29	3 33	2 37	26
5	9. 42	8 46	7 51	6 55	5 59	5 3	4 7	3 11	2 16	25
6	9. 20	8 24	7 29	6 33	5 37	4 41	3 45	2 49	1 54	24
7	8. 58	8 2	7 7	6 11	5 15	4 19	3 23	2 27	1 32	23
8	8. 35	7 40	6 44	5 49	4 53	3 57	3 1	2 5	1 10	22
9	8. 13	7 17	6 21	5 26	4 30	3 34	2 39	1 43	0 47	21
10	7. 50	6 55	5 59	5 4	4 8	3 12	2 17	1 21	0 25	20
11	7. 28	6 32	5 37	4 41	3 46	2 50	1 55	0 59	0 3	19
12	7. 5	6 9	5 14	4 18	3 23	2 27	1 32	0 36	0 19	18
13	6. 42	5 46	4 51	3 55	3 0	2 4	1 9	0 14	0 42	17
14	6. 19	5 23	4 28	3 32	2 37	1 41	0 46	0 9	1 5	16
15	5. 55	5 0	4 5	3 9	2 14	1 18	0 23	0 32	1 28	15
16	5 32	4 37	3 42	2 46	1 51	0 55	0 0	0 55	1 51	14
17	5 9	4 14	3 19	2 23	1 28	0 32	0 23	1 18	2 14	13
18	4 45	3 50	3 55	2 0	1 4	0 9	0 46	1 41	2 37	12
19	4 23	3 27	2 32	1 37	0 41	0 14	1 9	2 4	3 0	11
20	3 58	3 3	2 8	1 13	0 18	0 38	1 33	2 28	3 23	10
21	3 35	2 39	1 44	0 49	0 6	1 2	1 57	2 52	3 47	9
22	3 11	2 16	1 21	0 26	0 29	1 25	2 20	3 15	4 10	8
23	2 47	1 52	0 57	0 2	0 53	1 48	2 43	3 38	4 33	7
24	2 23	1 28	0 33	0 22	1 17	2 12	3 7	4 2	4 57	6
25	2 0	1 5	0 9	0 46	1 41	2 36	3 31	4 26	5 21	5
26	1 36	0 41	0 15	1 10	2 5	3 0	3 55	4 50	5 45	4
27	1 12	0 17	0 39	1 34	2 29	3 24	4 19	5 14	6 9	3
28	0 48	0 7	1 3	1 57	2 52	3 47	4 42	5 37	6 32	2
29	0 24	0 31	1 27	2 21	3 16	4 11	5 6	6 1	6 56	1
30	0 0	0 55	1 50	2 45	3 40	4 35	5 30	6 25	7 20	0

Declinatio Septentionalis.

Declinatio Meridiana.

Latitudo septentrionalis.

☰	8		7		6		5		4		3		2		1		0		☰
	g	m	g	m	g	m	g	m	g	m	g	m	g	m	g	m	g	m	g
0	7	20	6	25	5	30	4	35	3	40	2	45	1	50	0	55	0	0	30
1	6	56	6	1	5	6	4	11	3	16	2	21	1	27	0	31	0	24	29
2	6	32	5	37	4	42	3	47	2	52	1	57	1	3	0	7	0	48	28
3	6	9	5	14	4	19	3	24	2	29	1	34	0	39	0	17	1	12	27
4	5	45	4	50	3	55	3	0	2	5	1	10	0	15	0	41	1	36	26
5	5	21	4	26	3	31	2	36	1	41	0	46	0	9	1	5	2	0	25
6	4	57	4	2	3	7	2	12	1	17	0	22	0	33	1	28	2	23	24
7	4	33	3	38	2	43	1	48	0	53	0	2	0	57	1	52	2	47	23
8	4	10	3	15	2	20	1	25	0	29	0	26	1	21	2	16	3	11	22
9	3	47	2	52	1	57	1	2	0	6	0	49	1	44	2	39	3	35	21
10	3	23	2	28	1	33	0	38	0	18	1	13	2	8	3	3	3	58	20
11	3	0	2	4	1	9	0	14	0	41	1	37	2	32	3	27	4	22	19
12	2	37	1	41	0	46	0	9	1	4	2	0	2	55	3	50	4	45	18
13	2	14	1	18	0	23	0	32	1	28	2	33	3	19	4	14	5	9	17
14	1	51	0	55	0	[illegible]	0	55	1	51	2	46	3	42	4	37	5	32	16
15	1	28	8	32	0	23	1	18	2	14	3	9	4	5	5	0	5	55	15
16	1	5	0	9	0	46	1	41	2	37	3	32	4	28	5	23	6	19	14
17	0	42	0	14	1	9	2	4	3	0	3	55	4	51	5	46	6	42	13
18	0	19	0	36	1	32	2	27	3	23	4	18	5	14	6	9	7	5	12
19	0	3	0	59	1	55	2	50	3	46	4	41	5	37	6	32	7	28	11
20	0	25	1	21	2	17	3	12	4	8	5	4	5	59	6	55	7	50	10
21	0	47	1	43	2	39	3	34	4	30	5	26	6	21	7	17	8	13	9
22	1	10	2	5	3	1	3	57	4	53	5	49	6	44	7	40	8	35	8
23	1	32	2	27	3	23	4	19	5	15	6	11	7	7	8	2	8	58	7
24	1	54	2	49	3	45	4	41	5	37	6	33	7	29	8	24	9	20	6
25	2	16	3	11	4	7	5	3	5	59	6	5[illegible]	7	51	8	46	9	42	5
26	2	37	3	33	4	29	5	25	6	21	7	17	8	13	9	8	10	4	4
27	2	58	3	54	4	50	5	46	6	49	7	38	8	34	9	30	10	26	3
28	3	19	4	15	5	11	6	7	7	3	8	0	8	56	9	52	10	47	2
29	3	40	4	36	5	32	6	28	7	24	8	21	9	17	10	13	11	9	1
30	4	0	4	56	5	53	6	49	7	45	8	42	9	38	10	34	11	30	0

Declinatio Septentrionalis.

Declinatio Meridiana

Latitudo meridiana.

♎	0	1	2	3	4	5	6	7	8	♓
G	g̃ m̃	g̃ m̃	g̃ m̃	g̃ m̃	g̃ m̃	g̃ m̃	g̃ m̃	g̃ m̃	g̃ m̃	g̃
0	0 0	0 55	1 50	2 45	3 40	4 35	6 30	6 25	7 20	30
1	0 24	1 19	2 14	3 9	4 4	4 59	6 54	6 49	7 44	29
2	0 48	1 43	2 38	3 33	4 28	5 23	6 18	7 12	8 8	28
3	1 12	2 7	3 2	3 57	4 52	5 47	6 42	7 37	8 31	27
4	1 36	2 31	3 26	4 21	5 16	6 11	7 6	8 0	8 55	26
5	2 0	2 55	3 50	4 45	5 40	6 35	7 30	8 24	9 19	25
6	2 23	3 18	4 13	5 8	6 3	6 58	7 53	8 48	9 43	24
7	2 47	3 42	4 37	5 32	6 27	7 22	8 17	9 12	10 7	23
8	3 11	4 6	5 1	5 56	6 51	7 46	8 41	9 36	10 31	22
9	3 35	4 29	5 24	6 19	7 15	8 10	9 5	10 0	10 55	21
10	3 58	4 53	5 48	6 43	7 39	8 34	9 29	10 24	11 19	20
11	4 22	5 17	6 12	7 7	8 3	8 58	9 53	10 48	11 43	19
12	4 45	5 41	6 36	7 31	8 26	9 21	10 16	11 11	12 6	18
13	4 9	6 5	7 0	7 55	8 50	9 45	10 40	11 35	12 30	17
14	5 32	6 28	7 23	8 18	9 13	10 9	11 4	11 59	12 54	16
15	5 55	6 51	7 46	8 41	9 36	10 32	11 27	12 22	13 17	15
16	6 19	7 14	8 9	9 5	10 0	10 56	11 51	12 46	13 41	14
17	6 42	7 37	8 32	9 28	10 23	11 19	12 14	13 9	14 4	13
18	7 5	8 0	8 55	9 51	10 46	11 42	12 37	13 32	14 27	12
19	7 28	8 23	9 18	10 14	11 9	12 5	13 0	13 55	14 50	11
20	7 50	8 46	9 41	10 37	11 32	12 28	13 23	14 18	15 13	10
21	8 13	9 8	10 4	10 59	11 55	12 50	13 46	14 41	15 36	9
22	8 35	9 31	10 27	11 22	12 18	13 13	14 9	15 4	15 59	8
23	8 58	9 54	10 50	11 45	12 41	13 36	14 32	15 27	16 22	7
24	9 20	10 16	11 12	12 7	13 3	13 59	14 54	15 50	16 45	6
25	9 42	10 38	11 34	12 29	13 25	14 21	15 17	16 13	17 8	5
26	10 4	11 0	11 56	12 51	13 47	14 43	15 39	16 35	17 30	4
27	10 26	11 22	12 18	13 13	14 9	15 5	16 1	16 57	17 52	3
28	10 47	11 44	12 40	13 35	14 31	15 27	16 23	17 19	18 12	2
29	11 9	12 5	13 1	13 59	14 53	15 49	16 45	17 41	18 34	1
30	11 30	12 26	13 22	14 18	15 14	16 10	17 6	18 2	18 58	0

Latitudo septentrionalis.

♏	8	7	6	5	4	3	2	1	0	♒
G	g̃ m̃	g̃ m̃	g̃ m̃	g̃ m̃	g̃ m̃	g̃ m̃	g̃ m̃	g̃ m̃	g̃ m̃	g̃
0	4 0	4 56	5 53	6 49	7 45	8 42	9 38	10 34	11 30	30
1	4 21	5 17	6 14	7 10	8 6	9 3	9 59	10 55	11 51	29
2	4 41	5 37	6 34	7 30	8 27	9 23	10 19	11 16	12 12	28
3	5 1	5 57	6 54	7 50	8 47	9 43	10 39	11 36	12 33	27
4	5 21	6 17	7 14	8 10	9 7	10 3	11 0	11 57	12 53	26
5	5 41	6 37	7 34	8 30	9 27	10 23	11 20	12 57	13 13	25
6	6 0	6 56	7 53	8 50	9 47	10 43	11 40	12 37	13 33	24
7	6 19	7 15	8 12	9 9	16 6	11 3	12 0	12 57	13 53	23
8	6 38	7 34	8 31	9 28	10 25	11 22	12 19	13 16	14 13	22
9	6 56	7 53	8 50	9 47	10 44	11 41	12 38	13 35	14 32	21
10	7 15	8 12	9 9	10 6	11 3	12 0	12 57	13 54	14 51	20
11	7 33	8 30	9 27	10 24	11 22	12 19	13 16	14 13	15 10	19
12	7 51	8 48	9 45	10 42	11 40	12 37	13 34	14 31	15 28	18
13	8 9	9 6	10 3	11 0	11 58	12 55	13 52	14 49	15 47	17
14	8 26	9 23	10 21	11 28	12 16	12 12	18 10	15 7	16 5	16
15	8 43	9 40	19 38	11 35	12 33	13 30	14 27	15 25	16 23	15
16	9 0	9 57	10 55	11 52	12 50	13 47	14 45	15 42	16 40	14
17	9 16	10 14	11 12	12 9	13 7	14 4	15 2	15 59	16 57	13
18	9 32	10 30	11 28	12 25	13 23	14 21	15 19	16 16	17 14	12
19	9 48	10 46	11 44	12 41	13 39	14 37	15 35	16 33	17 31	11
20	10 4	11 2	12 0	12 57	13 55	14 53	15 51	16 49	17 47	10
21	10 19	11 17	12 15	13 13	14 11	15 9	16 7	17 5	18 3	9
22	10 34	11 32	12 30	13 23	14 27	15 25	16 23	17 21	18 19	8
23	10 49	11 47	12 45	13 43	14 42	15 40	16 38	17 36	18 34	7
24	11 4	12 2	13 0	13 58	14 97	15 55	16 53	17 51	18 49	6
25	11 18	12 16	13 14	14 12	15 11	16 9	17 7	18 6	19 4	5
26	11 32	12 30	13 28	14 26	15 25	16 23	17 21	18 20	19 18	4
27	11 45	12 43	13 41	14 40	15 38	16 37	17 35	18 34	19 32	3
28	11 58	12 56	13 54	14 53	15 51	16 50	17 49	18 47	19 46	2
29	12 11	13 9	14 7	15 6	16 4	17 3	18 2	19 0	19 59	1
30	12 23	13 21	14 20	15 19	16 17	17 16	18 15	19 14	20 12	0

Latitudo meridiana.

♏	0		1		2		3		4		5		6		7		8		♒
G	g	m	g	m	g	m	g	m	g	m	g	m	g	m	g	m	g	m	G
0	11	30	12	26	13	22	14	18	15	14	16	10	17	6	18	2	18	58	30
1	11	51	12	47	13	43	14	39	15	35	16	32	17	28	18	24	19	20	29
2	12	12	13	8	14	4	15	0	15	56	16	53	17	49	18	45	19	41	28
3	12	33	13	29	14	25	15	21	16	17	17	14	18	10	19	6	20	2	27
4	12	53	13	50	14	46	15	42	16	38	17	35	18	31	19	27	20	23	26
5	13	13	14	10	15	6	16	3	16	59	17	56	18	52	19	48	20	44	25
6	13	33	14	30	15	26	16	23	17	19	18	16	19	12	20	9	21	5	24
7	13	53	14	50	15	46	16	43	17	39	18	36	19	32	20	29	21	25	23
8	14	13	14	10	16	6	17	3	17	59	18	56	16	52	20	49	21	45	22
9	14	32	15	29	16	25	17	22	18	19	19	16	20	12	21	9	22	5	21
10	14	51	15	48	16	44	17	41	18	38	19	35	20	32	21	29	22	25	20
